HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

FUNDATORIS SOCIETATIS JESU

COLLECTA ET CONCINNATA A P. IGNATIO DIERTINS
SOCIETATIS JESU SACERDOTE

AD PRIMAM EDITIONEM EXACTA, QUAE NUNC PRODIT AUCTIOR
QUIBUSDAM EX OPERE PATRUM BOLLANDISTARUM
EXCERPTIS.



FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI,
MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

6409

Typis Victoris Ducoulombier, Viâ dictâ de l'Hôpital-Militaire 78, Insulis. 1887.

BENEVOLO LECTORI

Quem typis iterum mandamus librum, hic nihil aliud est quam initium cujusdam historiæ Exercitiorum Spiritualium Sancti Ignatii, quam R. P. Diertins olim enarrare instituerat, morte autem impeditus, perficere non potuit. Primo tamem libro, quem solum emisit in publicum, ea digesserat quæ ad illud tempus spectant quum in vivis adhuc ageret Ignatius.

Hoc igitur volumen, Romæ primum a. D. 1700, deinde 1732 sine ulla mutatione editum, quum nunc rarum admodum vix ac ne vix quidem apud librarios reperias, typis denuo cudendum curavimus, eoque libentius quod id est primum ac necessarium quasi fundamentum cujusdam monumenti, *Bibliothecæ scilicet Manrezanæ*, quod cum fratrum ope Deique auxilio in honorem Sancti Ignatii exstruere in animo habemus. Huic insuper historiæ desumpta ex Bollandistis documenta vel critica vel historica subjungere visum est, ut quoddam esset compendium tum Patribus tertium probationis annum agentibus non inutile, tum etiam omnibus Exercitiorum studiosis non injucundum.

Forsitan et aliis olim voluminibus novisque documentis

præclaram hanc Exercitiorum historiam licebit absolvere : Quod quidem propositum Reginæ Cœnaculi commendatum volumus, ei scilicet dulcissimæ Parenti, qua dictante, librum hunc aureum ac plane cœlestem B. Ignatius exaravit.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII

DE LOYOLA

FUNDATORIS SOCIETATIS JESU

Collecta & concinnata

a P. IGNATIO DIERTINS

Societatis Jesu Sacerdote

PARS PRIMA

Liber Primus

ROMÆ, MDCC

Apud JOANNEM-IACOBUM KOMAREK

Prope SS. Vincentium et Anastasium in Trivio

Superiorum permissu

THYRSUS GONZALEZ

Præpositus Generalis Societatis JESU

Cum Librum, cui titulus : Historia Exercitiorum Spiritualium S. P. Ignatii de Loyola, Fundatoris Societatis JESU, *a Patre Ignatio Diertins nostræ Societatis, Germaniæ Assistente conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi rocognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita videbitur : cujus rei gratia has Litteras manu nostra subscriptas, et Sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 8. Januarii 1700.*

THYRSUS GONZALEZ.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. Pat. Mag. Sac. Apostolici Palatii.

Dominicus Bellisarius de Bellis, Episcopus Melphicten. Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Paulus Bernardinus Ord. Prædicator. S. A. P. Magister.

PRÆFATIO

AD PATRES ET FRATRES

Societatis Jesu

Quæ in Annalibus nostris narrantur de Libro Exercitiorum S. P. et Fundatoris nostri Ignatii, externorum æque, atque nostrorum oculis exposita sunt. Non tamen ad omnes, sed nominatim ad vos, Reverendi Patres, et Carissimi Fratres, hanc, quam concinnavimus, historiam dirigendam esse censuimus.

Vos enim eidem sacræ militiæ, quam, Cælo auspice, Ignatius instituit, nomen dedistis. Vos per leges vestras *Const. p. 4. c. 8. § 5.* curare debetis, ut in Exercitiorum usu, hoc est, *in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possitis.* Nimirum ad id juvabit vel maxime præclara, hoc in genere, majorum vestrorum exempla oculis vestris semper proposita habere. Exempla siquidem illustria, animis non segnibus objecta, ad paria patranda non tantum movere ; sed vi quadam interiore pertrahere solent. Nihil proinde utilius vobis exhiberi posse videtur, sive spectemus rem vestram propriam, sive communem Societatis universæ.

Et vero jucundum vobis quoque accidet, cognoscere, quam non humana, sed superiore quadam institutione, admirabilis ille Exercitiorum liber ab homine litterarum plane rudi compositus sit : quomodo videlicet arma illa

spiritualia, superis adlaborantibus, in Manresano antro fabricata sint.

Mirabimini, dum legetis, quam pertinaci, et quasi perpetuo impetu, quot dolis et fraudibus, quot præliis, redintegratis, communis humani generis hostis pugnaverit, ut arma illa nobis e manibus eriperet; et videatur ex orco plenis quasi castris, ad abolenda hæc Exercitia erupisse. Gaudebitis porro, et quodammodo triumphum canetis, quando videbitis, quot, quantasque strages, hinc hostis ille Tartareus passus sit, quam feliciter et gloriose omnes ipsius insultus repulsi sint, et tela in ipsiusmet caput reciderint.

Non sine ingenti animi vestri voluptate intelligetis, quomodo Constitutiones et Regulæ vestræ ex hac Exercitiorum officina prodierint; quomodo Societas ipsa inde nata, per eadem creverit, propagata et amplificata sit; quanta ex iis probitas, virtus, sanctitas in Sociis extiterit.

Redibit in præcordia vestra ardor et zelus, quando late per terrarum orbem oculos circumferetis, et conspexeritis, quantos primi Patres per Exercitia illa ubique fructus protulerint, apud Ecclesiasticos juxta, et seculares, in Claustris Monachorum et Monialium; in Aulis Regum et Principum; in Civitatibus, et in familiis privatis; apud doctos et indoctos, fœminas æque ac viros, eosque vel liberos vel conjugatos; apud omnis denique generis et conditionis homines. Redibit, inquam, in præcordia virtus et ardor eorum vestigia premendi, quando notabitis qua cura, qua diligentia, qua industria et dexteritate studuerint in hominibus hujus saluberrimi recessus excitare desiderium; quomodo nunc singulos, nunc plures simul; nunc ipsi per se, nunc per alios, Exercitationes illas quamplurimis communicaverint.

At, inquiet aliquis, hæc omnia apud Historicos nostros legi possunt. Sic est. Neque enim nos quidquam afferimus, quod apud optimos Authores pridem probatum non sit : usique sumus potissimum Joanne Petro Maffæo, Nicolao Orlandino, et Daniele Bartoli celeberrimi nominis Scriptoribus, quorum duo postremi, post diligentem revisionem, Romæ suas lucubrationes publici juris fecerunt : quamquam primus non minorem fidem et approbationem apud omnes hactenus obtinuit.

Rationibus tamen non parvi momenti adducti sumus, ut res per Exercitia gestas, sic in unum quasi manipulum colligeremus. Quotus enim quisque habet apud se grandia illa Orlandini et Bartoli volumina ? et si habeat, quam rarus est, qui ea evolvat ?

Ut vero aliquis integrum evolverit Orlandinum, et multa de Exercitiis legerit, cognitionem tamen et memoriam eorum, minus claram, minusque vividam habeat, necesse est ; quippe quæ aliarum rerum, quarum narrationibus immixta sunt, varietate et multitudine distrahitur et debilitatur. Nimirum mens nostra vivacius apprehendit, profundius penetrat, tenacius sibi imprimit rem illam, in quam unam vires omnes suas quasi colligit, quam dum eas ad plura dispergit : et oculus corporis nostri distinctius illud intuetur, in quod unicum figit obtutum, quam dum in multa simul fertur.

Permoverunt nos præterea aliorum exempla, qui cum approbatione et laude ingenti nos præiverunt. Quamvis enim Ignatii, Xaverii, Fabri, pluriumque præstantium Virorum res gestæ in Annalibus nostris inveniantur, illas nihilominus sapientissimo consilio, in minus volumen collectas, seorsum evulgarunt : nec caruerunt insigni operæ istius pretio. Nam sic magno-

rum illorum Virorum facta, et facilius leguntur, et non interrupta serie menti proposita, animum magis afficiunt, fortius movent, et vehementius ad paria sectanda impellunt.

Et vero in hoc, quod aggredimur, argumento ejusmodi in unum collectio, præ ceteris videtur et utilis et necessaria; ut mirari liceat a nemine hactenus Provinciam hanc esse susceptam. In omni disciplina refert quam plurimum rerum causas, et principia non ignorare : ita ut satis non sit legere, et scire illustria majorum nostrorum facta, nisi intelligamus pariter, undenam illa suum decus, suumque splendorem acceperint. Undenam autem sermones nostri, sive ad singulos in privatis congressibus, sive ad plures ex altiori loco in concionibus, virtutem suam habent? Undenam fiat, ut non simus; *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens? I. Cor* 13. Undenam vis illa, in iis, quæ vel dicimus, vel agimus, ut tam multis salutem afferant, sicut, quæ Dei gratia est, videmus fieri per orbem terrarum universum? Sane quod aliquis sit *potens in verbis, et in operibus suis. Act.* 7. non aliunde oritur, quam ex spiritu illo Apostolico, qui in spiritualibus Exercitiis, ut primum quis ad tirocinium admittitur, solet hauriri et exinde continuis quasi fomentis conservatur et augetur. Illo spiritu si quis repletur, eumdem quaquaversus in alios diffundet. Illo spiritu si quis inter nos destitueretur, is quasi membrum emortuum, et sibi et proximis suis noceret potius quam prodesset. Spiritus ille est anima Societatis nostræ, sicut illum appellat Congregatio nostra Generalis undecima, *Decr. 30.* Id ipsum Historia hæc facile vobis persuadebit. Quapropter non morabor vos pluribus. Duo tamen breviter juverit annotare, de modo orandi et meditandi, qui a S. P. Ignatio in libello Exercitiorum traditur. Primum

est, quod methodus illa omnino adversetur erroribus *Quietistarum*, quos damnavit Innocentius XI, anno 1687.

Alterum est, quod per hanc methodum obtineatur facile illa animi præparatio, quam ad sublimiorem contemplationem ordinarie Deus prærequirere solet, ultra autem hanc præparationem velle conniti ad contemplationem illam extraordinariam, antequam Deus illam concedat, temeritate plenum est. Desiderari potest; at vires suas velle ad illam exerere, ridiculum et vanum est. Alas ad volandum optare quis potest: Sed antequam alas acceperit, ad volandum se velle accingere, risu dignum est. Hoc ipsum ex Suaresio, et P. Alvare de Paz in Exercitiis S. P. Nostri explanatis, *ad Annot.* 1 *inter 20. lit. B*, magis ostenditur, et qualis sit illa præparatio prærequisita breviter explicatur.

Posset utrumque hoc membrum a nobis annotatum, egregie illustrari ex lucubrationibus, et libris, spiritu Dei plenis, V. P. Ludovici a Ponte Societatis nostræ; nominatim ex Vita V. P. Balthazaris Alvarez, et ex Vita V. Virginis Marinæ de Escobar, quam utramque conscripsit, hujus saltem præcipuam partem: sed quia pars hæc prima Historiæ Exercitiorum vita et morte S. P. Ignatii concluditur, et quia de Venerabili illo P. Ludovico in hoc argumento paucis non satis pro dignitate agere possumus, cogimur illud in tempus sibi proprium differre. Interea videri potest *Dissertatio Parænetica Apologetica in vitam.... Ven. Virginis Marinæ de Escobar... a R. P. Joanne Tanner Societatis Jesu Theologo scripta.* In Editione secunda Neapoli impressa 1690. sub initium § 2. ubi de *Quietistis* agitur; et ostenditur, quomodo P. Ludovicum, et dictam Virginem Marinam, utentes illo ordinario orandi modo, Deus ad extraordinariæ orationis et contemplationis gratiam evexerit: et quo-

modo B. Virgo Maria revelaverit se esse, et fuisse veluti Patronam et Fundatricem illorum sanctorum Exercitiorum Societatis, et fuisse Adjutricem, et veluti Magistram S. P. Ignatii ; quæ pluribus narrat ipse P. Ludovicus in Vita P. Balthazaris Alvarez *cap. 43.* § 1. Non degeneremus a præcelsis cogitationibus, et factis filiorum Dei, Parentum et Majorum nostrorum. Valete.

Dabam Romæ 31. Julii 1699.

RR. ac CC. Vestrarum

Humillimus Servus in Christo

Ignatius Diertins.

AD LECTOREM

Ut fides major sit illis, quæ narrabuntur, et ut animus eorum qui legent, in eisdem melius acquiescat ; apposuimus in margine Auctores et locos unde singula desumpta sunt. Auctores autem quibus usi sumus, sunt hi tres.

Historiæ Societatis Jesu pars prima, Auctore Nicolao Orlandino Societatis ejusdem Sacerdote, impressa Romæ cum debitis approbationibus anno 1615, apud Bartholomæum Zannettum.

Vita S. Ignatii Loyolæ scripta, et postremo recognita a Joanne Petro Maffeio ejusdem Societatis Sacerdote impressa cum debitis approbationibus, Venetiis, anno 1589, apud Damianum Zenarium.

Della Vita, e dell' Istituto di S. Ignatio Fondatore della Compagnia di Giesù libri cinque, del P. Daniello Bartoli della medesima Compagnia. In Roma appresso Domenico Manelfi 1650, con licenza dè Superiori.

Protestatio Auctoris

Si quando in decursu huius historiæ mentio fiat sanctitatis Personarum, ab Apostolica Sede in Album Beatorum aut Sanctorum non receptarum: aut si quædam narrentur de Revelationibus, inspirationibus, prodigiis, miraculis, aliisque similibus legitime non approbatis: Protestor me illis nullam aliam Auctoritatem attribuere velle, quam quæ Historicorum Scriptis attribui potest, et solet, juxta mentem Sedis Apostolicæ, cui me et omnia mea devoveo. Actum Romæ 31. Julii 1699.

Ignatius Diertins.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Fundatoris

SOCIETATIS JESU

PARS PRIMA

Liber Primus

1. Exercitia Spiritualia sunt arma.

Sanctus Patriarcha Noster Ignatius Part. 4. Const. Cap. 8. § 5. *Ad Exercitia*, inquit, *Spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant, et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernimus) dexteritatem habere possint.*

Societati propria: de quibus erit narratio.

Habet Societas Jesu plura, quibus pro Deo, ejusque Ecclesia pugnat, arma Spiritualia, eaque ceteris fere commilitonibus communia ; cum ceteris, artes liberales, et theologica dogmata Auditoribus tradit in Scholis; cum ceteris, rudes instruit,

et viam Salutis populo ex altiori loco demonstrat ; cum ceteris aures omnibus noxas suas confiteri volentibus prompte admovet, pluraque mysteria Sacra administrat; denique cum ceteris, non cessat varia stringere tela contra hostes Ecclesiæ militantis : at hæc Exercitiorum Spiritualium arma, quamvis non desint, qui nunc quoque cum fructu veniant in partem, tamen prout in admirabili illo libello eorum ars a Sancto Ignatio descripta fuit, tractat, ut sibi præcipuo quodam jure propria. Bella igitur armis hisce gesta, enarrare aggredimur.

Exempla simul collecta, plus pro sunt.

Sunt ea quidem apud Societatis Historicos annotata non indiligenter ; sed sparsim et intercise ; sicut identidem aliorum eventuum cognitione mens distrahatur. Quemadmodum autem ex vasto agro collecti in manipulum flores suavissimum odorem sensui affundunt, qui antea, dum aliis vel herbis, vel floribus immixti stabant, vix aut ne vix quidem percipiebatur ; ita ex variis magnisque Voluminibus excerpta, et quasi in fasciculum colligata hæc rerum per Exercitia illa gestarum series, non poterit non suavissimos juxta ac saluberrimos fructus in animis legentium gignere. Hac excitati, et animati spe, rem ipsam ordiamur.

Anno 1521.

2. Ignatius vulneratur, convertitur.

Anno vigesimo primo supra millesimum quingentesimum, decimo tertio Kal. Junii, Ignatius, dum arcem Pampelonensem generose pugnans tuetur, glande ictus, semianimis alienata mente corruit. Erat eadem dies Pentecostis altera, ut globus ille, vi sulphurei pulveris, cum ingenti sono non sine Spiritus sancti numine, excussus videri possit, qui militem humanæ militiæ gloriam sec-

Orland. lib. 1. num. 10. 11. Maff. lib. 1. cap. 2. Bartoli lib. 1. num. 5.

tantem prostravit, ut ipsum ad meliora arma converteret. Ignatius sic sauciatus, una cum Arce in hostium manus pervenit, a quibus humanissime per aliquot dies exceptus, et curatus, deinde in gestatoria sella Loyolam, quæ prope aberat, ad gentile illustris familiæ solum delatus est. Ibi, dum persanando cruri varia adhibetur opera, fallendi temporis causa, deficientibus libris quos expetebat, forte res gestæ Christi, ac Sanctorum legendæ ipsi oblatæ sunt. Quorum præclara exempla dum animo volvit attentius, ipse heroicis cogitationibus assuetus, sensit se ad tam præclara sectanda vestigia exardescere. Ex adverso tamen spiritus malus non cessabat blanditias, et imagines humanarum rerum, quibus antea capi solebat, identidem objectare. At, divina aspirante luce, inter alternas fluctuantis animi propensiones, hoc Ignatius discrimen notavit, quod blandis illis rerum fluxarum imaginibus, quamdiu præsentes observabantur, tamdiu titillabatur mens; abeuntibus vero, succedebat illico amarus quidam torpor, et sibi displicentis animi tædium. Contra vero præclari illi ad Christianam laudem impetus, cogitationesque de adæquanda vigilantia et sobrietate Sanctorum, de votivis peregrinationibus, de victu cultuque imprimis horrido et aspero, non modo cum aderant, animum insolita quadam jucunditate mulcebant; sed in recessu quoque tristitia subeunte nulla, securum hilaremque præstabant: animadvertitque a vanis illis et inanibus cogitationibus, se jejunum et aridum; ab aliis autem, velut a pabulo salutari, lætum vegetumque discedere: liquidoque perspexit, fucata et insidiosa vo-

Incipit discernere Spiritus.

luptas, quantum a vero et solido gaudio et suavitate distaret. Atque hoc est semen quoddam admirabilis libri Exercitiorum, quamvis id temporis de commentario faciendo nullum consilium incideret. Hanc videlicet primam de intimis animi sensibus, motibusque ratiocinationem habuisse fertur Ignatius, ad quam ubi major deinde rerum divinarum usus accessit, tantam in spirituum discretione solertiam atque peritiam est assecutus, ut egregia etiam illius generis præcepta posteritati scripta reliquerit. Atque ita primam originem deteximus Sapientissimarum illarum Regularum, quas, tam viæ, ut vocant, purgativæ, quam illuminativæ, mirifice utiles in ordinem redactas habemus.

In Montem Serratum tendit. *Orland. lib. 1. num. 14. 16. 17. Maff. lib. 1. c. 3. & seqq. Bartoli lib. 1. n. 9. & c.*

Ignatius, cum inter hæc fixum constitutumque ipsi esset, res æternas præ perituris eligere, omnique studio totum se iis dedere: vulnere jam satis persanato, relicto natali solo, in Montem Serratum religionis causa profectus est. Dum enim sine Rectore ac Magistro, novus in via Spiritus Tiro, patriis sedibus excederet, parum abfuit, quin abreptus zelo inconsiderato, hominem Maurum de virginitate Sanctissimæ Matris Dei indigne impieque locutum, pugione confoderet. Verum jam monte conscenso, cum in Sacra Æde, per tutelarem, quæ in ea colitur, intemeratam semper Virginem, Dei opem implorasset, ut res omnes suas ad Divini obsequii normam rite componeret, statuit sibi perito in via spiritus Duce imprimis opus esse. Erat ibidem in Benedictinorum Cœnobio Monachus Joannes Clanonius nomine, natione Gallus, vir ab insigni virtute plurimum laudatus: apud

hunc igitur Ignatius triduo integro anteactæ vitæ noxas de scripto exposuit, riteque absolutus summa deinde cum veneratione ad Sacramentum Altaris accessit. Huc referri possunt, quæ in libello Exercitiorum posuit, sub hoc titulo: *Confessionis generalis, et Communionis usus.*

Discit quam necessarius sit director in via Spirituali.

Contulit etiam cum eodem Patre, qui sibi confitenti aures dederat, omnia sua consilia cogitationesque de imitatione Sanctorum, quæ ad eam usque diem prorsus nemini patefecerat. Clanonius, ut erat prudentia non minus, quam pietate clarus, direxit illum adversus fallacias tenebrarum Patris, Angelum lucis ementientis: comprobans nihilominus bona ipsius consilia. Atque hæc Ignatius, Magistri sui doctrina institutus, non solum peragebat; sed etiam observabat conferens in corde suo, et intentis ubique oculis per justitiæ semitas incedens, ac notans singula, ut eodem tempore, quo faciebat in discipulatu progressum, eumdem haberet in Magisterio. Hinc videlicet initium habent, præclaræ illæ leges, quas tum instructori, tum eis, qui instruuntur, præscripsit.

3. Descriptio Manresana. *Orland. lib. 1. n. 19. & seqq. Maff. lib. 1. c. 5. & seqq. Bartoli lib. 1. n. 11. & seqq.*

A Monte Serrato abest Manresa, olim Minoressa dicta, novem millibus passuum, civitas quingentis fere familiis constans. Quadraginta inde passibus hospitium erat S. Luciæ Virgini et Martyri, ac S. Apostolo Thomæ dedicatam habens Ædem, mendicis et ægris recipiendis opportunum: quod deinde in Collegium Societatis Jesu commutatum fuit, infirmis in civitatem receptis. Vicina est vallis, non magna quidem illa, sed quæ ob amœnitatem *Paradisi vallis* vulgo nuncupabatur: irrigatur limpidissimo rivo, cui Cardanero nomen est. Inter

hunc rivum et Regiam viam ex adverso positam, in ipsa valle ad radicem collis octoginta cannis a Cardanero remoti, e vivo saxo excavata erat Spelunca, duobus et triginta palmis longa, decem lata, et totidem fere alta; cum fenestella, sive fissura, per quam Montem Serratum aspicere, et Matrem Dei prodigiis inibi claram venerari licebat; obscurum cæteroquin antrum, et horridum, ideoque vix notum : sed virgultis spinisque obsitum. Inter hoc, et communem viam stabat saxea crux, una e tribus, quas Ignatius precandi causa adire solebat.

Ibi fuit officina in qua fabricata sunt arma Spiritualia Exercitiorum.
v. Auctores ibidem.

Hic, quem descripsimus, locus, fuit officina, in qua cœlestia Exercitiorum arma fabricata fuere, ipsoque usu probata. Quæ Loyolæ, et in Monte Serrato ad institutam nostram historiam, gesta narravimus (nam cetera, quamvis immortali memoria digna, non attingimus) ea quasi rudimenta quædam et præludia belli fuerunt. Atrocia prælia ad agrum Manresanum reservata sunt. Hic aperto primum Marte Adversarius Ignatium aggressus est : talem ipsi, nec opinanti, ingerens cogitationem : quæ, malum, ratio te Miser, impulit, ut relicta patria, cognatis amicisque potentibus, pedore ac dira macie deformatus, tristissimo et obsoletissimo vestitu, vel stipem in triviis corrogares, vel inter infimas plebis minutæ quisquilias lateres inglorius ? et plura id genus : ad quæ, quamvis Ignatius initio paulisper commoveretur, sensit tamen auctorem eorum esse diabolum, seque egenorum colloquiis, familiarius etiam quam antea inferens, superbiæ Ducem superavit.

4.
Aperto Marte Dæmon eum aggreditur.
Ibidem.

Rursus Ignatium Templo accedentem sic adorsus est. Hem ! infelix Ignati, annis utique septuaginta,

quot ætas tua recipit, in tantis laboribus, in tanta vitæ asperitate degendum est, quos tu, præsertim urgente senio, tolerare, qui poteris ? tum ille fortiter, nec sine contemptu : quasi vero, inquit, mihi tu vel unius diei spatium præstare possis : atque ita impetum hunc repulit.

Deinde sub specie boni.

At humani generis hostis, ubi se aperta vi nihil proficere sensit, longe diversa bellandi ratione, dolo, cuniculisque grassari constituit. Per speciem ipsiusmet honesti, quod adamabat Ignatius, ipsum aggressus est, impetu sane violentissimo. In Monte Serrato Ignatius omnes animi sui noxas et latebras Clanonio summa diligentia aperuerat. Cum vero postea inter precandum solita animi tranquillitate ac delectatione per intervalla se sentiret destitui, dubitare apud se cœpit, rectene confessionem in Monte Serrato peregisset ? quidquamne omisisset, quod ad integram criminum accusationem attineret ? ac proinde num idcirco fortasse Deum adhuc iratum experiretur ? Quæ ille dum anxius agitat, arrepta occasione Diabolus perturbandi hominis, deque suo statu dejiciendi, hanc ipsam suspicionem atque formidinem institit illi vehementer etiam atque etiam incutere. Ignatius molestas has cogitationes, et hærentem visceribus pestem volens evellere, etiam cujusdam concionatoris monitu, qui Minoressæ per eos dies agebat, totius vitæ noxas, quotquot revocare in memoriam potuit in libellum relatas, quod ad Montem Serratum antea fecerat, quam accuratissime rursus explicuit. Sed remedium hoc, exasperatio potius, quam mitigatio doloris fuit. Neque præterita modo ; sed præsentia quoque dicta, facta, cogitata ani-

Et scrupulis. *Ibidem.*

mum cruciabant. Optabat quidem, ut Sacerdos sibi pro potestate, ejusmodi recordationibus, et investigationibus interdiceret ; sed idipsum consilium ad eum deferre non audebat ; eoque crevit malum, ut desperata pace, ad luctus miseriasque finiendas, e fenestra cubiculi (Dominicanorum hospitio tum forte utebatur) semetipse præcipitem dare cogitaret. Qua atroci ac sæva cogitatione, Deo opitulante, fortiter repressa veteris cujusdam Anachoretæ exemplo, quod legerat, omni cibo abstinere decrevit, donec optata quies, propitiato numine rediret. Jamque in septimum diem inediam produxerat, quando Sacerdos jussit illum sumere cibum, ni faceret, etiam Corporis Christi Communionem illi negandam. Paruit igitur : cumque nec sic satis tempestas sedaretur, tædium quoque subiit præsentis vitæ, et ad suos redeundi cogitatio. Sed tandem post longam, et atrocissimam luctam, radius ei cœlestis luminis illapsus est, cujus beneficia diabolica discussa caligine totius tentationis exordia progressusque attente considerans, liquido comperit, omnes illos conscientiæ stimulos, vanasque suspiciones a malo spiritu fraudulenter immissas : atque ita infelicem illam miseriam et pœnam non modo evasit ipse ; verum etiam alios curandi, qui eadem ægritudine laborarent, miram a Patre luminum adeptus est scientiam et facultatem, regulasque cœpit statim colligere, quæ in libello Exercitiorum ea de re plenæ sapientia extant.

De quibus deinde Regulas scripsit.

5. Additio de pœnitentia est orta ex proprio experimento. *Ibidem.*

Quæ vero de interiore pœnitentia, et de voluntariis peccatorum pœnis assumendis conscripsit, ea ipse proprio experimento didicit. Nam ab initio

corpus inedia, vigiliis, flagellis aliisque modis tanto ardore cruciabat, ut præ virium defectu, coactus nonnunquam fuerit sævitiam illam moderari.

Initia meditationum. *Ibidem.*

Sub idem tempus, ad mentis progressus est actiones, et qui paulo ante vix vocalis nosset orationis usum, exerceri cœpit meditationibus iis, quas in Exercitiorum spiritualium libello digessit. Nam partim ex eo, quod suo ipse usu, et quotidiana observatione notarat ; partim ex eo, quod a divino illo Institutore didicerat, salutarem quamdam orandi scientiam, et meditandi velut artem effecit : quam in dies magis ac magis auctam locupletatamque ad similitudinem exercendorum corporum, exercitia Spiritus appellavit, ut quemadmodum suis exercitationibus corpus, ita suis se spiritus aleret, ac sustentaret.

6. Liber Exercitiorum paulatim crevit, et perfectus est. *Bartoli lib. 1. num. 21.*

Juverit hic annotare, libro Exercitiorum Spiritualium, in Manresano recessu nequaquam ultimam manum additam fuisse ; sed sicut argentum aurumve in visceribus terræ inventum, deinde solet expoliri, sic Ignatius thesaurum illum in Manresana specu inventum, per vigintiquinque circiter annos sequentes expolivit, additis quibusdam locis Conciliorum et Patrum, regulisque ac annotationibus ceteris, in eum, quem videmus ordinem redactis : prout testatur P. Ludovicus Gonzalez in vita S. Patris, ex quo ipsemet intellexit. Donec tandem, ut videbimus, Anno 1548 a Paulo III. Exercitia illa fuere approbata, tanquam *documenta*, sic loquitur Pontifex, *sive Exercitia Spiritualia, ex Sacris Scripturis, et vitæ Spiritualis experimentis elicita, et in ordinem ad pie movendos fidelium animos aptissimum redacta.*

Ordo et modus libri est novus. *v. eosdem Auctores. Orland. sup. n. 23. 24. Bartoli n. 16.*

Sane ordo ille, de quo Pontifex loquitur, admirabilis est: quamvis pleraque, quæ libro illo continentur, prioribus sæculis cognita fuerint, modus tamen ille, totusque partium contextus, omnino novus est, nec ante sic ab ullo traditus. Exposito videlicet fine, propter quem Deus hominem, ceteraque omnia condidit, huic veritati tamquam fundamento semper insistens, mox per viam, quam vocant purgativam, ducit ad cognoscendam fœditatem peccatorum per quæ ab illo fine turpissime deviamus. Deinde proposito exemplo Christi Regis ac Imperatoris, a vexillo diaboli retractos ad eiusdem optimi ac Sapientissimi Ducis vexillum sequendum, ejusque virtutes imitandas per viam illuminativam nos provocat: imo per meditationem de tribus hominum classibus, quodammodo impellit. Quæ omnia in hebdomade tertia, ob oculos posito Christo cum cruce præeunte, magis ac magis confirmantur. Ac denique in via unitiva, quæ complectitur hebdomadem quartam ad desiderium gloriæ resurgentis Christi, ejusdemque purissimum amorem nos accendit. Cum his conjungit annotationes, additiones, præludia, colloquia, examina, modos eligendi, regulas de victu temperando, de discernendis spiritibus, de scrupulis, de sentiendo cum orthodoxa Ecclesia, et cetera, quæ, si eo, quo præscribuntur, ordine adhibeantur incredibilem quamdam vim habent, homines ad virtutem sinceram, et ad salutem sempiternam perducendi: ut dubitare fas non sit, quin opus hoc sit humano majus, et plane æternæ mentis inventum: cujus præstantia numquam satis percipitur, nisi usus ipse atque exercitatio accesserit.

Libri summa quædam.

1522
In Antro Manresano memoria libri Exercitiorum.
Bartoli lib. 1. n. 22.

In Antro illo Manresano, utcumque postea adornato, visitur imago, non rudi manu picta, in qua expressus est Ignatius, qualis ibi vixit, indutus sacco, cinctus catena, capite et vultu squalido, innixis genibus ante Virginem matrem Filium brachiis gestantem, in eamque intuens, gestu parantis scribere, tamquam ab ipsa ejusque filio excipiens artem Exercitiorum Spiritualium, cum hac inscriptione in tabulæ limbo : *In hoc loco anno 1522. S. Ignatius composuit librum exercitiorum, qui fuit primus, qui in Societate JESU scriptus fuit, et fuit approbatus per Bullam Sanctitatis suæ Pauli III.*

7.
Primi fructus Excercitiorum proximis.
Orland sup. n. 31 Maff. sup. c. 5.

Ignatius post tot et tam dura prælia victor, repulsis feliciter omnibus inimici insidiis et assultibus, instructus jam cœlestibus illis armis, antequam e certaminis loco discederet, circumspicere cœpit, num qua parte aditus pateret, per quem ipsemet bellum inferre, et Adversarium suum invadere posset. Comperiens autem multos, qui communi generis humani inimico turpissimam serviebant servitutem, hos inde eripere constituit, et asserere in libertatem filiorum Dei. Illis, quos idoneos ad id judicabat, eadem de fine, ob quem creati sumus, de peccatorum fœditate et pœnis, aliaque quæ in se ipse primum expertus fuerat, meditanda dedit. Omnes vero tum privatis colloquiis, tum publicis adhortationibus, ex editiore saxo, quod etiamnum ante vetus S. Luciæ nosocomium visitur, quæ uno eodemque Exercitiorum Spiritu imbuebantur, ad sectandas veras Christianas virtutes incitabat. Magna hinc facta est morum mutatio, et multi ad arctam salutis se-

Manresæ morum mutatio.

mitam, a via lata et spatiosa traducti. Fuit, qui, ut abeuntem Ignatium sequeretur, patriam deseruit, neglecto jure quodam, quod in rem familiæ aliquot annis, lite instituta, prosecutus fuerat. Inter testes productos in causa Canonizationis affirmavit aliquis, quod Manresa, quando eo venit Ignatius, vix Dei sui videretur meminisse ; cum vero discederet magnam Civitatis partem quasi Sanctam ab eo relictam. Non deerant tamen, ut fit, qui bona civium suorum consilia carperent, et improbarent.

1523-1524.

Ierosolymam proficiscitur et revertitur.

Orland. sup. n. 32.

Maff. sup. c. 12. 13. & c.

Sud initium Anni 1523, magno omnium dolore Minoressa Ignatius discessit Barcinonem, inde in Italiam perrexit, unde Venetiis in Palestinam trajecit, in qua, Sacrorum locorum amore, et Dei gloriæ propagandæ causa, diutius hærere constituerat ; verum a Franciscano, qui toti Ordinis istius Provinciæ præerat, et in Peregrinorum mansionem vel reversionem aliquid potestatis a Summo Pontifice acceperat, commoratio longior prohibita ipsi fuit : sed prima opportunitate navigandi, cum aliis iter remetiri coactus est, atque ita

1525.

Barcinonem Anno 1525. reversus est.

In tota illa Jerosolymitana profectione multa sane pulchra, et memoratu digna contigerunt. Illa enim, quæ de Christo optimo Duce ac Imperatore suo, per opprobria, egestatem, et adversa sequendo, mente conceperat, reipsa exercendi et perficiendi, plurima et quasi perpetua ipsi oblata est occasio. Et, ut semel dicam, tota Ignatii vita, quidquid loquebatur, quidquid agebat, usque ad ipsam ad Superos transmigrationem, non fuit, nisi viva Exer itiorum Spiritualium imago. Nobis tamen

propositum non est, singula illa persequi; sed ea tantummodo seligemus, in quibus armorum horum Spiritualium vis præcipua quadam ratione exprimitur et elucescit.

8. Regulæ electionis unde ortæ. *Orland. sup. n. 42. Maff. sup. c. 16. Bart. sup. n. 26.*

Post impeditam Jerosolymitanam mansionem, antequam Barcinonem regressus esset, Ignatium gravis incessit cura, quæ usu ipso docere cæpit et aperire Regulas, totamque artem deliberandi et eligendi, de qua tam præclare scripsit in libro Exercitiorum. Deliberandum videlicet erat quodnam potissimum vitæ genus esset capessendum. Ac multa secum agitanti venerat illi dudum in mentem cœnobium aliquod ingredi maxime dissolutum, ut ibi, dum lapsam Religionis disciplinam, et verbo, et exemplo conatur ad veterum instituta redigere, et ceteris aliqua re prodesset, et ipse interea (quod necessario futurum videbat) ab iis, qui restringi se nollent, multa pro Christi nomine pateretur. Sed incertus, num id maxime ad Dei gloriam pertineret, quam videlicet unam in omni actione spectare consueverat, proposito sibi fine ob quem erat creatus, de quo habemus in libro Exercitiorum pulcherrimum illud præludium ad electionem faciendam, post exploratam diligenti prece et jejunio numinis voluntatem, in eam denique mentem sese divinitus plane sensit impelli, ut sine dubitatione statueret, primum operam suam nequaquam intra unius familiæ cancellos includere: deinde, quo latius pateret utilitas ac fructus animorum, ejusdem consilii ac propositi idoneos aliquot adlegere socios atque adjutores; postremo, ad S. Spiritus unctionem doctrinæ quoque subsidium ac literarum cognitionem adjungere.

His ita constitutis, cum dubitasset Minoressamne repeteret, ad tria hæc inchoanda tandem Barcinonem elegit. Ibi igitur, repuerascere in gratiam Christi matura jam ætate vir (quippe tertium circiter ac trigesimum agebat ætatis annum, et elementarius propemodum fieri non erubuit. Inter spinosa porro Grammaticæ Studia, accidit ipsi quidpiam, ex quo in peritia discernendorum spirituum, et detegendarum fraudum diaboli, formam Angeli boni mentientis, non parum profecit. Cum enim verborum inflexiones et nominum ediscendæ essent, cumque animum ad rerum cœlestium sensa concipienda longo jam usu promptum et agilem haberet, fiebat ut si amandi vocabulum, vel alia quæpiam ejusmodi vox admonuisset eorum, quæ pie ac religiose commentari consueverat, subito pene abstractus a sensibus, in contemplationem divinæ caritatis, ac sempiternæ beatitudinis tota mente raperetur. Ex quo illud consequebatur, non solum ut nihil novi mandare memoriæ posset; sed etiam, ut si quid antea impressum esset, id ipsum concursu novarum, et præstantiorum imaginum illico deleretur: quam ipsam rem, quasi futura præsagiens, pro sua parte adjuvabat etiam vafer humani generis inimicus, eo maxime tempore crebra intelligentiæ lumina eidem offerens, et recondita patefaciens Scripturæ Sacræ mysteria. Quod ille cum cerneret, cumque adhibito sæpe conatu, evagationem hanc frustra cohibere tentasset; pro ea discretione spirituum, quam diuturna exercitatione paraverat, facile sensit Diaboli fraudem sese a litterarum studio revocare conantis: animadvertebat nimirum, quod in Regula quinta

9. Novum ad discernendos spiritus experimentum. *Orland. sup. n. 46. 47. Maff. sup. c. 16.*

pro hebdomade secunda annotavit, cogitationes illas circa principium, medium et finem suum, non ubique recte se habere; sed intervenire aliquid, quod a bono avocaret. Hanc igitur rationem iniit ejus abigendæ molestiæ. Templum erat Beatæ Virginis, cui a mari cognomen est, gymnasio proximum, in id templum fusis rite ad Deum eamdemque Virginem precibus, Ardebalum (hic erat ejus Magister) pro amicitia accersit; rem illi totam, ut erat exponit; deinde se ad pedes abjicit hominis, etiam atque etiam obtestans, ne ab incæpto desistat; se utique, modo sibi panis et aqua non desit, in proximum biennium, et eo amplius, si opus fuerit, ad Scholas frequentem esse venturum, seduloque daturum operam litteris; petere et rogare ut ab se quotidie non minus, quam a ceteris pensum exigat; cessantem, quasi quemlibet unum e grege puerorum, arbitratu suo et verbis et plagis accipiat. Miratus viri humilitatem ac probitatem Ardebalus, bonum animum jubet habere, suamque illi operam denuo pollicetur. Atque hac submissione victus denique dœmon abscessit, et importunis illustrationibus Dei beneficio recedentibus, operæ pretium Ignatius facere, et liberius in Grammaticæ cognitione cœpit excurrere. Qui in Regulis de discernendis spiritibus versatus est, non pauca huc inde poterit referre. Nos historiam prosequamur.

10. Exercitia Barcinone tradit, et quatuor Socios lucratur. *Orland. sup. n. 52. Maff. sup. c. 16.*

Inter hæc Grammaticæ studia institit Ignatius pia passim colloquia serere, plebem infimam Doctrinæ Christianæ præceptis imbuere, quosdam etiam Spiritualibus Exercitiis ad virtutem et perfectionem informare. Quarum rerum admiratione

permoti præ ceteris viri quatuor, sese ad Ignatii ductum, atque Institutum aggregarunt (quibus tamen in proposito deinde constantia defuit) Callistus quidam, qui auctore Ignatio peregrinationem Hierosolymitanam nuper obierat; alterum Attiagam cognomento appellabant; tertius fuit e Gotholaniæ Proregis familia, nomine Cazeres: ad quos ultimo loco Joannes adolescens, natione Gallus accessit, qui postea se in Monachorum cœnobium abdidit.

1526. His auctus Sociis Ignatius biennio prope jam transacto Barcinone, cum iisdem Complutum ad altiora Studia se transtulit anno Sæculi ejus sexto et vigesimo, ad initium Augusti. Ibi, quamvis Dialecticæ, Physicæ et Theologiæ studia plurimum illum occuparent, (consilio enim quorumdam, hisce omnibus eodem tempore, operam dabat) non poterat tamen ille Exercitiorum spiritus in præcordiis Ignatii contineri, quin tamquam ignis vi quadam erumpens, obvia quæque incenderet. Concurrebatur ad ejus enarrationes Christianæ doctrinæ; conveniebatur ipse privatim a multis, consilii causa et institutionis: nec pauci Exercitia spiritus usurpabant, cum vitæ morumque commutatione insigni. Eadem Sodales quoque ejus, quamquam diversorio discreti, tamen cultu corporis similes, pro suis quisque viribus munera pertractabant. Interea Exercitiorum inimicus Diabolus, nova parabat bella, ut quasi in incunabulis, antequam magis firmarentur, posset illum Manresanum partum suffocare et extinguere: quod in hunc modum facere aggressus est.

11. Exercitia dat Compluti, inter altiora studia. *Orland. sup. n. 54. Maff. sup. c. 17. Bartoli sup. n. 32.*

Etiam dabant illa Socii. *Ibidem.*

Cum in dies Compluti major hominum concursus

ad Ignatium fieret: sermones varii super eo audiebantur, qui Toletum brevi ad Sacros Inquisitores delati sunt. Horum aliqui Complutum celeriter advolant, in Ignatii doctrinam ac mores diligenter æque ac dissimulanter inquirunt. Cum nihil neque in dictis, neque in factis, a recta fide alienum invenirent, Ignatium ne appellant quidem; tota re delegata Vicario Archiepiscopi Joanni Figheroæ, qui deinde regio concilio præfuit, Toletum ipsi ad sua tribunalia revertuntur. Neque ita multo post Vicarius ipse, magis usurpandi juris causa, quam quod rem ulla animadversione dignam putaret, ad Ignatii diversorium adit quiete, et pauca quædam ab eo percuntatus, ad extremum exponit: inquisitum in ipsum et Sociorum vitam esse acriter, neque inventum quidpiam vitiosum: proinde more suo animarum saluti operam darent, cum eo tamen, ut non uno eodemque omnes habitu incederent, ne tali tempore novam aliquam sectam inducere viderentur. Nativi coloris lanea veste cuncti utebantur. Jussit ille Ignatium et Artiagam nigro, Callistum et Cazerem rufo colore distingui, adolescentem Gallum nihil mutare. Interjecto deinde quatuor fere mensium spatio, cum nihil de instituta docenti ratione remitterent, nec persuadere sibi Vicarius posset homines idiotas, in iis tractandis quæ ad Christianæ Fidei dogmata pertinerent, nusquam labi, rursus in eos clam institit quærere. Sed cum nihilominus sana cuncta reperisset, rem totam sine ullo judicii tumultu suppressit. Nec tamen ita multo post Vicarius idem tertiam in Ignatium quæstionem exercuit, quorumdam calumniis ac suspicione compulsus. Confluebat ad novum

Inquiritur in eum, ejusque doctrinam. *Orland. sup. n. 55. & seqq. Maff. sup.*

Doctorem audiendum, ut diximus, populi turba promiscua, in iis fœminæ duæ honesto loco natæ, grandis natu mater, et filia forma eleganti. Hæ publicis Ignatii adhortationibus incitatæ, ut est sexus ad pietatem propensus, adeo exarsere, ut cuncta Hispaniæ valetudinaria peragrare, et in Christi Domini gratiam toto vitæ suæ tempore pauperibus ministrare decreverint. Hoc animo propositum Ignatio cum aperuissent, dissuasit ille magnopere, cum alias ob causas, tum ne cujus oculos animumque solicitaret aspectus adolescentulæ : non deesse Compluti pauperes, quos officii causa, si vellent, inviserent; non deesse alia id genus permulta, utriusque sexus, alterius etiam ætati magis congruentia. Quibus rationibus, et simul auctoritate viri deterritæ cogitatam quidem illæ deposuere provinciam. Veruntamen eadem agitatæ Spiritus vi temperare sibi postea nequiverunt, quo minus inconsulto atque inscio prorsus Ignatio, pedibus ac mandicantium specie, aliud genus peregrinationis longæ difficilisque susciperent. Giennium in Boetica est Urbs, Sacro Sudario imprimis visenda, in quo crucem sibimet bajulantis expressa Christi Domini adoratur effigies. Ad id sudarium venerandum, pedibus, ut dictum est, paucis admodum consciis profectæ, duodecim fere dierum itinere, cum in urbe non apparerent, admiratio primum affinium et vicinorum orta : deinde, ubi a familiaribus cognitum est, peregrinantium habitu petiisse Giennium, varie pro suo quisque sensu rem interpretari. Nonnulli probare factum, plerique reprehendere, quod eo loco fœminæ, sine comitibus, nullo apparatu se in iter periculosum

dedissent. Doctor vero Cirolius, cujus in tutela erant Mulieres, actorem ejus consilli suspicatus Ignatium, vehementer excanduit: facinus indignum exclamans, hominem externum nubiles puellas in pudicitiæ discrimen adducere. Atque his querimoniis Vicarium perpulit, ut Ignatium in carcerem, misso repente viatore, conjiceret. Erat æstivum anni tempus, et satis laxa custodia. Itaque ad eum, totis jam illis finibus celebrem, vel spectandi vel audiendi causa plurimi ventitabant, quibus ille securitate mirabili Christianæ doctrinæ rudimenta, tum etiam, ubi res exigeret, Spiritualium Exercitationum præcepta more suo tradebat, et meditationibus suis quosdam ad virtutem promovebat, ut dicere posset cum Apostolo: *Sed verbum Dei non est alligatum.* Sane Georgius Naverius, insignis ea tempestate Doctor, et magna apud Carolum Cæsarem gratia, cum ad eum visendum accessisset, animi magnitudinem et dicendi vim admiratus, ut primum ad suos domum revertit: Hodierna die, vidi Paulum, inquit in vinculis. Jamque septimum decimum diem ibi transegerat, non solum innoxius, verum etiam prorsus ignarus cujus criminis nomine accerseretur, cum ejus interrogandi gratia (multa quippe ad eum ab iniquis delata fuerant) Vicarius ipse cum scriba publico in carcerem venit. Ac primum, ut fit, variis quæstionibus versat in omnes partes Ignatii animum: dein sciscitatur ab eodem, observetne Sabbata. Cui ille: utique, in honorem B. Mariæ Virginis, inquit; nam cæteroquin et Judaicos ritus ignoro, et Judæum patria mea fert nullum. Postremo: nostin, ait, mulieres quasdam duas,

12. In carcerem mittitur, ibique etiam dat Exercitia. *Ibidem.*

matrem et filiam ? cum Ignatius annuisset : numquid auctor illis fuisti (adjungit) peregrinandi Giennium ? Nihil vero minus, ait Ignatius : quin imo credas mihi jurato velim ejusmodi concursationes et itinera in universum utrique dissuasisse me : et, si profectæ sunt, me ignaro, atque adeo invito profectas. Tum hilari vultu Vicarius, humeros Ignatii leniter apprehendens : atqui ob idipsum, inquit, in custodiam te scito fuisse conjectum. His ita peractis, ac tota serie quæstionis per scribam in commentarios relata, Vicarius abiit. Interea, peregrinatione confecta, secundo et quadragesimo denique die mulieres revertuntur. E quibus Ignatii innocentia clare perspecta, venit in carcerem Scriba, et Vicarii sententiam Ignatio recitat, qua primum jubebatur is cum Sociis cæterorum Scholasticorum habitu incedere ; deinde quadriennii præfiniebatur spatium Sacræ Theologiæ cognoscendæ, ante quod exactum, de Fidei Christianæ Mysteriis ad populum ne verba facerent. Quibus auditis, quod ad habitum pertinet, nihil sane recusabat Ignatius, dummodo in idipsum egenti sibi necessaria præberentur. Quia vero per illam temporis finitionem, sibi via ad procurandam animorum salutem obstrui cernebat, sine ulla dubitatione Salmanticam ad sua prosequenda studia migrare constituit, cum sesquiannum circiter Compluti moratus fuisset.

13. Liber à carcere Salmanticam abit, ubi durior quæstio recruduit, et tota tempestas in librum Exercitiorum versa est. *Ibidem.*

At vero Salmanticæ durior etiam quæstio recruduit, et tota denique tempestas in ipsum Exercitiorum librum, ex quo cætera dependebant, desæviit. Cum enim Ignatius, perinde atque Compluti fecerat, quod supererat a studiis otii, ibi quoque

in cohortandis ad virtutem ac pietatem, et privatim et publice, non modo plebeiis, verum etiam principibus viris insumeret, neque, adjuvante Deo, operam frustra collocaret, omnium in se oculos repente convertit, urbemque totam celeriter ejus nominis fama pervasit. Erat omnino inusitata res, et ipsa novitate valde mirabilis, laicos homines, et externa re nulla differentes a ceteris (etenim eos Figheroa suo sumptu Compluti Scholasticorum vestimentis ornarat) Apostolico ac pastorali propemodum munere fungi palam, et Sacerdotes ipsos ad partes suas rite obeundas accendere. Et cum ejusmodi vitæ genus valde probarent, suspicerentque permulti, tum vero non deerant, qui totam rem secus interpretarentur, ac diligentius cautiusque examinandam putarent. In iis Dominicani e Divi Stephani præclaro Cœnobio, quamquam eorum pro potestate non erat ejusmodi quæstio, tamen quo erant caritatis ardore, sat suum rati quod communem ad rem totius Ecclesiæ pertineret, Ignatium noscere, spiritumque ipsius, et doctrinæ genus et vitæ institutum expendere omnino constituunt. Interim ignarus hujusce consilii Ignatius Confessarium ex ipso Cœnobio sibi delegerat. Is igitur Confessarius advenam jussu Vicarii (nam Prior, seu Cœnobiarcha aberat) in proximum Dominicum diem ad prandium invitat, nec renuenti: Fac, inquit, paratus accedas; quærenda ex te non pauca. Ac nihilominus, ubi dies advenit, sine cunctatione promissa fecit Ignatius. Exceptus est cum uno ex comitibus Callisto, comiter. Sublatis deinde mensis, utrumque Vicarius, cum eodem Confessario, et alio e

1527.

14. Dominicani ex zelo boni communis in Ignatium inquirunt. *Ibidem.*

fratribus in Sacellum quoddam seducit; considunt omnes. Tum blando vultu Vicarius Ignatium intuens: gaudere se admodum, inquit, ac valde probare, quod ille cum Sociis Apostolicum in morem peregrinando populos doceat, atque ad cultum Dei, ac Studium pietatis impellat. Verum tamen avere se nosse, quibus maxime literis operam dederint. Cum, id quod erat, Ignatius minime doctos fateretur esse: quid igitur, inquit, expertes doctrinæ, conciones de rebus divinis habetis? Nos vero nequaquam concionamur, ait Ignatius; verum de virtutis pulchritudine, de vitii fœditate, cum occasio sese dat, familiariter et ex æquo loco disserimus, atque homines ad odium peccatorum, amoremque probitatis hortamur. Ad ea Vicarius: sed utique de virtutibus vitiisque sine liberalium artium cognitione disputari non potest, vel à Magistris et libris accepta, vel infusa divinitus: vos vero neque literis, neque Doctoribus operam dedistis, ut ipsi fatemini: restat igitur ut à Spiritu Sancto vobis hæc tradita sint: atqui hoc ipsum est de Spiritu Sancto, quod maxime quærimus. Tum Ignatius, ut peti se vidit repentino dilemmate, cum aliquantulum substitisset: de his, inquit, hactenus. Cum nihilominus instaret ille, ac Spiritus Sancti verbo hominem urgeret, oppressus Ignatius tam perseveranti interrogatione, in eodem tamen gradu constantiæ persistit, seque nihil præterea responsurum affirmavit, nisi quibus legitime interrogandi jus esset. Quo loco Vicarius: Ita ne vero? inquit. Cum novæ in posterum sectæ quotidie pullulent, et in errorem ac fraudem ita multos inducant, vos in red-

Maff. lib. 1, c. 17.

denda vestræ doctrinæ ratione tergiversamini? Atqui forte efficietur, ut omnino reddatis. Triduum deinde intra Sacros Cœnobii fines detinentur, atque humanissime tractantur. Eo spatio exacto, ecce tibi a Baccalaureo Fria, Vicario Salmanticensis Episcopi Notarius ambos perducit in Carcerem, includitque separato a reliqua reorum turba conclavi, mirum in modum squallido ac pervetusto, odorisque deterrimi; cujus tectum medium stipes ligneus fulciebat, ac stipiti ferrea catena erat affixa dodrantium longitudine circiter novem, bifida ad extremum serie. Huic ergo catenæ altero utrumque pede adstrigunt, sic ut nusquam alter sine altero progredi, aut loco pene movere se posset. Igitur tota ea nocte, per summum corporis incommodum, nulla capta quiete, in hymnis et canticis perstitere. Postridie, ut per Urbem vulgata res est, continuo boni viri complures cum stragulis culcitrisque et ciborum apparatu adfuerunt, quorum benignitate recreatus Ignatius, ac paulo clementius haberi deinde in ea Custodia cœptus est. Itaque ut ante Compluti, sic eo tempore concursus ingens hominum ad eum fieri, ad quos ille admirabili tranquillitate, de contemptu rerum humanarum, de extremo futuro judicio, deque sempiternis præmiis atque suppliciis varia dicebat, unumquemque solito more ad studium salutis suæ procurandæ excitans. In iis Francisco Mendozæ (qui postea S. R. E. Cardinalis et Episcopus Burgensis est mortuus) miseranti casum ipsius, et amice ex eo quærenti, graviterne ferret custodiam et vincula? Tantumne malum tibi videtur esse carcer? inquit Ignatius. Atqui

15. In carcerem cum Socio mittitur à Vicario Episcopi.

scito, urbe Salmantica tota non ita multas esse compedes, manicasve, quin ego plures Christi Domini causa vehementer exoptem. Interea Baccalaureus Frias ad carcerem accedit, Ignatium et Callistum diversos interrogat, ac variis percontationibus, quales haberi a Judicibus solent, utrisque sensus et animum diligenter explorat. Cum illi congruentia responderent, nec modo sibi, sed etiam inter se mire constarent ; denique librum Exercitiorum, de quo inaudierat, poscit : nec recusat Ignatius ; quin etiam sibi præterea esse tres in eadem Urbe Socios aperit, editque diversorii nomen, ac notas, quibus inveniri sine errore possint. Neque vero supersedit ille, missis lictoribus eos in carcerem tradere inferiorem, ne quod iis colloquium cum Ignatio, neu qua communicatio consiliorum esset.

16. Liber Exercitiorum poscitur. *Ibidem.*

Socii reliqui capiuntur.

Examinatur liber Exercitiorum. *Ibidem.*

Post hæc ablatum Exercitiorum librum et ipsemet accurate perlegit, et examinandum præterea tradidit tribus Theologiæ Doctoribus : qui dum singula diligenter expendunt, accidit interea res ad innocentiam Ignatii et Sociorum declarandam non levis momenti. Dum enim ceteri, qui in vinculis tenebantur, per negligentiam Custodum, effracto carcere, omnes repente dilapsi essent, Ignatius comitesque soli in summa fugiendi licentia postridie ibidem inventi sunt et, cunctis admirantibus approbantibusque, confestim in amplam domum et commodam inde Magistratuum jussu traducti.

Citatus præterea Ignatius ad Baccalaureum, et reliquos libri sui recognitores, cum et de Exercitiorum ratione et de præcipuis Fidei Christianæ Mysteriis multa ex eo quærerentur, , paucis ac

demisse præfatus, neque se vacasse admodum litteris ; et quæcumque sentiret, diceretve, Ecclesiastico judicio et censuræ cuncta submittere ; ad singulas quæstiones, de Sanctissima Trinitate, de Incarnatione Domini, de Sacramento Eucharistiæ, aliasque complures, etiam ad unam e jure canonico petitam ita respondit, ut Judices ipsi pene obstupescerent. Postremo jussus primum decalogi præceptum, uti consueverant ad populum, sic ibidem repente explicare, in eam sententiam usque adeo varie et copiose dixit, ut omnem illis præterea interrogandi cupiditatem ademerit.

His rebus ita peractis, cum dies vinculorum esset secundus jam et vigesimus, una cum Sociis evocatur ad judicum sententiam audiendam ; cujus erat summa, innoxios eos, et ab omni hæretica labe intactos videri, ac proinde posse arbitratu suo in adjuvandos homines et plebem erudiendam incumbere, tantum ne, intra quadriennium in Theologiæ Studio exactum, quæ cogitatio lethali, quæ veniali crimine teneretur (qui locus in toto pene jure Pontificio ac Theologia difficillimus est) auderent ipsi per se definire atque statuere. Id autem propterea quod in Exercitiorum libro signa quædam tradita viderant Judices ad peccata capitalia a venialibus dignoscenda : quæ tamen quod nihil continerent a recta Fide alienum, nominatim improbare non audebant, postquam ipse Ignatius ad improbandum animos ipsis quodammodo fecisset. Nam cum quæsivissent ex ipso quomodo ausus fuisset discrimen peccatum mortale inter et veniale assignare, sic responderat : Si doctrina est bona, non est cur reprobetur ; sin secus, vos qui

17. Locus in libro Exercitiorum de discrimine inter mortale et veniale excutitur, nec quicquam improbatur. *Ibidem. Maff.*

estis doctiores, condemnate eam. Nimirum Divina providentia, quidquid malevoli, suadente diabolo, adversus Exercitia illa moliebantur, per Examinatorum et Judicum integritatem ac sapientiam elidebat, quorum zelus et severior quidam in quæstionibus procedendi modus id temporis erat necessarius, quando hæretica pestis quaqua se diffundere conabatur.

Solus Parisios tendit.

Ignatius, hoc de innocentia sua testimonio accepto, satius tamen judicavit ex hisce dificultatibus, quas in Hispania objici sibi subinde videbat, ad Scholas Parisienses in Galliam sese transferre: ubi etiam, propter illius Academiæ celebritatem, atque frequentiam, existimabat non defuturos, quos ad suum institutum, atque et Apostolica vestigia sectanda perliceret. Itaque cum Sociis adeo longinquum non idem esset animus, ipse solus, vigesimo circiter die, quam e custodia exierat, in viam se dedit, ac Barcinonem devenit. Inde summa hieme, pedibus, ut solebat, profectus, sub initium anni 1528, cum Januarium totum in itinere posuisset, Februario mense Lutetiam sospes introiit: in arenam videlicet novorum certaminum contra hostem Exercitiorum spiritualium.

1528.

18. Parisiis tres Socios non perseveraturos per Exercitia sibi jungit. *Orland. sup. n. 67. et seqq. Maff. sup. c. 20.*

Cum enim Latinitati impensius excolendæ, ac simul provehendis ad perfectionem ex Academicis, quos nancisceretur idoneos per pia colloquia, et Exercitationes spiritus, instaret : tres præcipue insignem fecere vitæ mutationem, Baccalaureus Castrius, Peralta, et Juvenis quidam, Amator nomine. Duo priores viri erant maxime clari, magnique nominis. Amator in Collegio S. Barbaræ versabatur sub Jacobi Goveæ Lusitani disciplina, eique percarus. Hi exercitiis permoti spiritualibus,

cum pauperibus quidquid habebant supellectilis, etiam libros dedissent, et in obsoleto cultu, ad elationem animi conterendam, et humana omnia premenda, quotidianum pastum inter notos emendicare cœpissent, ac demum in Sancti Jacobi Xenodochium, ubi manserat prius Ignatius, se recepissent, magnus in Academia extitit motus. Furebant vulgo omnes in Ignatium. Ab eo Govea querebatur ad insaniam Amatorem compulsum: ab eo ceteri, præsertim Hispani, par nobile ingeniorum de cursu rerum magnarum dejectum, et in animi vilitatem segnitiemque præcipitatum. Itaque ubi blanda non succedunt consilia, pene armata manu ad Xenodochium vaditur, et inde vi tres Tirones abstrahuntur : qui tempori cedentes, quamdiu studiis finem imponerent, perfectionis Evangelicæ propositum distulere. Is fuit velut alter partus Sociorum Ignatii præmaturus, nec vitalis. Nam tametsi vitam cuncti laudabiliter pieque peregerunt, nemo tamen in ejus disciplina, ac Societate permansit.

Hinc contra eum quærelæ.

Horum interea, aliorumque ad severiorem Christianæ disciplinæ modum conversio, quorum nonnulli solemni voto varia Religiosorum Instituta professi sunt, tantam Ignatio invidiam Parisiis creavit, ut præter cæteras injurias et maledicta, falsis etiam criminationibus ad sacrum inquisitorem semel iterumque delatus sit. Is erat ea tempestate Matthæus Ori ex Dominicana familia Theologiæ Magister, tum eruditione, tum probitate conspicuus : qui delatorum vocibus, et imprimis Petri Ortozii Doctoris clarissimi auctoritate permotus, citat absentem Ignatium. Sed hic ultro ad illum concurrit, paratus recta in custodiam per-

Ad Inquisitorem è Dominicana familia defertur. *Ibid.* *Bart. lib. 2. n. 22.*

gere, nec supplicium recusaturus, si quid in se alienum a Religione, castisque moribus deprehensum esset : solum rogans breve judicium, quod Philosophiæ curriculum ad Kalendas Octobris, si permitteretur, ingredi destinasset. Quæsitor admiratus illam judicii ultro subeundi fiduciam, et accusatorum fraude comperta, Ignatium non absolvit modo, sed etiam miris ornavit laudibus, ipsumque Exercitiorum librum, qui præcipue in suspicionem crimenque vocabatur, tantum abfuit ut damnaret, ut sibi etiam ejusdem exemplum, Ignatii permissu, desumpserit. Præterea absolutionis ac sententiæ formulam, publici Scribæ chirographo et signo munitam, quam contra iniquorum calumnias, quandocumque opus esset, proferret, tametsi id minus gratum potentibus quibusdam viris fore videbat, Ignatio petenti concessit.

Inquisitor absolvit Ignatium, et exemplar libri Exercitiorum sibi sumit. *Ibid.*

19. Virgarum supplicium quomodo evaserit. *Ibid.*

Neque vero propter Exercitia sua spiritualia, quibus ad perfectæ virtutis via alios reducebat, hac solum falsæ accusationis procella defunctus Ignatius est ; sed eorum ipsorum opera, quid illum deinde vel maxime dilexerunt, virgarum quoque publice periculum adiit. Hunc enim cruciatum ac notam maleficis constitutam, Ignatio insonti, quod condiscipulos, festis præcipue diebus, a Schola ad Oratorium et sacra Mysteria Confessionis Altarisque traduceret, vehementer iratus Magister ipse Joannes Penna paraverat, Jacobo Govea Lusitano Collegii Primario in suam sententiam facile adducto, quippe qui jam ante privatim erat infensus Ignatio, quod familiarem quemdam suum, Amatorem nomine, unum ex tribus illis Parisiensibus Sociis, qui vi quadam fuere ab Ignatio retracti,

sicut supra meminimus, severioris vitæ præceptionibus imbuisset. At vero Govea, postquam ultro Ignatius ipsum adiisset, seque ad quidvis pro Christi nomine patiendum obtulisset, si audita gestorum suorum ratione, quam exponebat, ipse id expedire judicaret, ita hominem permovit, ut apprehensum amicissime Ignatium deduxerit in Aulam, quo jam Collegæ cum reliqua turba, ad verbera infligenda parati convenerant. Ibi silentio indicto, repente contra omnium expectationem de Ignatii laudibus orationem instituit, fortitudinem, innocentiam, charitatem extollens ; se ipsum et ceteros qui innoxio periculum stuxerant, vehementer accusans. Quam in sententiam cum multa dolenter, graviterque dixisset, ad extremum obortis lacrymis, ad Ignatii genua procidit, precatusque delicti veniam, etiam apud ceteros illum in admirationem gratiamque restituit, et ipse in omni deinde vita Ignatium, et Socios præcipuo amore studioque complexus est. Pennæ quoque præcipuus in eum extitit amor, accessitque aliorum amicorum copia, gravium præsertim Virorum.

20. Ob præstantiam Exercitiorum offeruntur illi doctoratûs insignia. *Orland. sup. n. 72.*

Inter hos tres fuere præcipui, et in numero Doctorum facile Principes, Martialis, Vaglius, et Moschosus : quorum primus cum in divinis Ignatii commentationibus supera se luce profundi, et simul, quam se scite cælestibus de rebus Ignatius edoceret, attenderet, in eam mentem venit, ut vellet eum publice Theologiæ creari Doctorem, ne tum quidem laurea Philosophiæ donatum, æquum videri negans, ut qui talia et tanta ab eo quotidie disceret, vulgo Doctor haberetur, ille vero, qui doceret, non eisdem decoraretur insignibus : quod

21. Quam salutaris Theologia discatur in Exercitiis. *Bartol. sup. n. 18.*

tamen ille decus constantissime recusavit. Mira haud dubie videbitur multis illa Martialis Doctoris cogitatio. Sed admirationem illam lenire aliquatenus saltem poterit testimonium Jacobi Mironis literis Græcis Latinisque pereruditi, qui per Exercitia Parisiis ad Societatem adjunctus est, et cujus aliquoties recurret memoria : « stupore dignum est, » inquit, quod viri sapientia et theologica doctrina » clarissimi, qui antea vel despiciebant, vel etiam » impugnabant Exercitia nostra (neque sane in » iis quidquam continetur aut asseritur, quod ipsi » pridem non optime cognovissent) postquam » tamen ad eorum usum et praxim se passi sunt » induci, tanta mox in iis consecuta sit mutatio, » tanta oborta lux, ut cum ingenti animi sensu » profiterentur, se tunc primum fieri vere Theolo- » gos ; se tunc primum agnoscere, quantum sibi » deesset ad sapientiam, post labores tam longos, » in cathedris et in libris, legendo et disputando, » nequidquam consumptos. » Ita ille.

Deinceps explicandum erit, quomodo per Exercitia spiritualia Ignatius tertium quasi Sociorum partum enixus sit, uti fœcundiorem, ita longe prioribus feliciorem ; unde omnis est proseminata Societas.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Fundatoris

SOCIETATIS JESU

Liber Secundus

1. Ignatius Philosophiæ studens temperat zelum suum. *Orland. l. 1. n. 73 & seqq. Maff. lib. 1. c. 21. Bart. lib. 2. n. 1 & seqq.*

Postquam Ignatius Parisiis in Collegio Montis Acuti humanitatis se litteris expoliverat, in Collegium S. Barbaræ, ut Philosophiæ operam daret, admissus est. Ubi tandem, ex animi sententia, cum præcipuis et ingenio præstantibus Academicis agere licuit, ex ipsoque flore seligere quos ad suæ vitæ rationes sensisset idoneos. Attamen inter philosophicas curas statuit sibi in novis aggregandis Sociis non esse elaborandum : Collocutiones quoque pias, quibus dulcissime cum Petro Fabro condiscipulo longa spatia trahebat, in certum tempus concordi pactione temperavit. Ubi vero curriculum Philosophiæ permensus, ne Magistri quidem repudiatis insignibus, quo plus ad animarum causas auctoritatis afferret, ad

Theologiæ vacans, multos ad meliora convertit.

Theologiam se transtulit, tunc primum illud consilium aliquot adjungendorum sibi Sociorum resumpsit. Multos ille quidem eo tempore, vel ex hæresum scopulis, vel vitiorum probris eripuit, multos per Exercitia spiritus ab humanis ad divina traduxit, quorum plerique non vulgari aliqua probitatis laude contenti perpetuis se inclusere Cœnobiis. Verum ex tanta Discipulorum, Sociorumque Ignatii varietate, novem ei dumtaxat veros, germanosque ejus alumnos disciplinæ, eosque fere omnes, locis, nationibus, naturis ac linguis dissimiles, jam inde ab æternitate paraverat Deus. Quamquam non omnes simul adjuncti sunt, ut mox narrabimus.

Novem Socios sibi jungit.

2.
Industria Ignatii quâ per Exercitia alium è vitiis extraxit.
Bart. lib. 1. n. 41.

Ante tamen, quam ad illa Societatis incunabula deveniamus, unum alterumque commemorandum est specimen industriæ, qua Ignatius homines ad Exercitia inducebat, et per Exercitia tantos late fructus colligebat.

Sacerdos Parisiis erat, religiosis adstrictus votis, sed qui turpis vitæ licentia offendebat alios. Ignatium vero urebat ardor vindicandi tantum probrum, illudque a sacerdotali dignitate, a Religioso Ordine, a Deo, cujus honor inprimis lædebatur, amoliendi. Sed impar erat congressus hominis profani, in studiis adhuc recentis, cum viro tam sacro, cujus doctrina erat tantopere probata, ut dignus æstimatus sit qui occultorum criminum causas in tribunali a Christo instituto, cognosceret ac dijudicaret. Consulto tamen Deo, excogitavit ingeniosa Ignatii charitas modum, quo miseri illius animum expugnaret. Adit Sacerdotem illum impurum dominica die, tamquam supplex et reus

prosternit se ad ipsius pedes ; non sine gemitu et lacrymis retexit, et confitetur noxas anteactæ suæ vitæ, idque ea interioris doloris significatione, ea malitiæ peccatorum exaggeratione, eo de seipso vindictam sumendi offensoque Deo satisfaciendi ardore, ut horror quidam fœditatis propriorum criminum audientis animum invaderet, eousque ut premere illum diutius corde non potuerit, sed ex judice apud Ignatium fieret reus, agnoscensque miserabilem suam conditionem, consilium ipsius et auxilium imploraret. Ignatius vero certissimam illi medicinam, Exercitia spiritus, præscripsit; ex quibus tanta mox secuta est morum mutatio, ut labem, qua suum Ordinisque sui nomen commaculârat, cum omnium non minore admiratione, quam congratulatione, penitus deleverit.

3. Alia industria quâ alium ad meliora per Exercitia traduxit. *Ibid.*

Hæc occasio istius juvandi studiose quæsita fuit; altera, ultro se offerens, dextere arrepta. Nescio quod ob negotium subibat Ignatius ædes cujusdam Doctoris Theologi Galli, quem invenit lusu quodam globulorum tempus fallentem. Benigne ingredientem excepit Doctor, et semel iterumque ad certamen lusus Ignatium provocat. Hic imperitiam suam excusans declinare. Cum pergeret nihilominus urgere Doctor, Ignatius altiori quadam vi motus : consentio, inquit, in certamen, sed pauperes, qualis ego sum, non solent ludere sine spe lucri. Quia vero quod perdam, non habeo, nisi memetipsum, ludam hoc pacto : Si perdam, imperata tua faciam, et serviam tibi integro mense. Si victor evasero, facies vicissim, integro mense, quod exegero in magnam rem tuam. Admittitur pactum, luditur, vincitur Doctor. Et profuit ipsi

sic vinci. Nam Ignatius mense integro illum instruxit Exercitiis spiritualibus, consueto cum fructu insignis mutationis morum.

His aliisque viis Ignatius arma Exercitiorum spiritus late circumferebat, et passim hominum animos expugnabat. Inter omnes tamen res gestas, eminet illud grande, quod moliebatur, opus novæ Religionis condendæ, quod Exercitiorum ope tandem perfecit. Demus nunc ejus initia.

4. Primus Socius Petrus Faber. *Apud eosdem, locis citatis.*

Primus Ignatii Socius fuit, quem supra nominavimus, Petrus Faber, Allobrox, Pago Villaretto Gebennensis Diœcesis, humili natus loco, sed egregie pius: quippe qui duodecimo ætatis anno per summum sanctimoniæ studium virginitatem Deo voverat idemque ad literas a vita pastoritia traductus Parisios, tantum ingenio industriaque profecerat, ut in abstrusioribus Aristotelis locis, e Græco præsertim sermone enucleandis, sive peritiorem, sive acutiorem interpretem, ipse Magister Penna consuleret. Hunc igitur Ignatius et studiorum et contubernii communione sibi conjunctum, licet socium gloriosi operis ab initio sibi destinasset, non tamen continuo rem illi aperuit, neque integris suis Exercitiis Spiritualibus, quasi plenis castris hominem aggressus est; sed Exercitia quædam leviora præmisit. Docuit eum, videlicet primum quotidiana sui pectoris discussione, in sua dicta, facta et cogitata diligenter inquirere. Deinde simul universæ quam accuratissime, deinceps autem, octavo quoque die, quotidianæ vitæ confiteri peccata, et Christi Corporis renovare mysterium. Sic edoctum, in hisque perdiu exercitum, docuit adversus eas animi pravitates, proclivitatesque

Disponitur ab Ignatio, per leviora Exercitia utriusque examinis, confessionis generalis, & octiduanæ communionis.

vitiorum excubare potissimum per examen particulare, quæ maxime viderentur infestæ, inito certamine, non cum universis aut multis, sed cum singulis aut paucis, et cum ea præcipue, quæ principatum sibi in ejus animo vendicaret: eademque vigilantia præcepit, ut totus esset in alicujus propriæ ac singularis persecutione virtutis, cujus usu exercitationeque frequenti, ejus sibi tandem habitum compararet. Vix paululum Faber commonstrata processerat via, cum vergere toto cœpit animi nutu ad instituta Magistri, actionemque vitæ cum mentis cogitatione conjungens, majorem et Dei et sui ipsius notitiam adeptus est. Confectis Theologiæ spatiis, menteque de Sacerdotio ineundo suscepta, non prius ausus est verendis illis initiari mysteriis, quam sui Magistri consilium, per quem sibi aliqua significatio divinæ mentis ederetur, exquireret: quæ tum demum edita est, cum ad divinas Ignatii commentationes, et Exercitia spiritus animum appulit. Hæc enim Exercitia Deus, et primas illas Societatis columnas, et posteros, qui majorum erant secuturi vestigia, tamquam promptum voluit habere præsidium. Qua impulsus occasione Ignatius, ea, quæ jam pridem studiorum causa posuerat, arma resumpsit, ut ea tantisper ad optatissimi contubernalis salutem adhiberet. Altitudine animi, et liberalitate erga Deum plane mirabili Faber ei se culturæ dedit.

5. Ita præparatus ante Sacerdotium ad Exercitia integra admittitur. *Ibidem.*

Tempestas frigoribus horrida saeviebat, ac Sequana fluvius Aquilonibus ita duruerat, ut altissima glacies tutum plaustris et quadrigarum cursibus præberet iter. Sed cum rigerent omnia, unus Faber flagrans spiritu Dei, paratis sibi ad com-

mentandum locis, in apertum prodibat atrium, alta nive constratum, ubi in divinarum rerum contemplatione, dum destinatas explet horas, rigidus permanebat. Reversus in cubiculum, nullis ignium fomentis algens corpusculum refovebat, nec unquam apud inclusum candens carbo resplenduit. Erat illi quidem sepositus in angulo carbonum acervus, quos foculo imponeret, sed eo sternebat humum ad capiendum somnum, et id erat illi cubile, in eoque nocturno frigore, solo se versabat indusio. Ut autem ex intervallo eum invisit Ignatius, argumentatus ex ore labiisque, ut ei mos erat, enorme jejunium (quod nec diffiteri Faber ipse potuit, sex enim ipsos dies sine ullo cibo potuque traduxerat) : non crediderim, inquit, aliquid in hoc peccatum, quin etiam sic existimo, plurimum te, hoc jejùnio commeruisse apud Deum ; verum tracturusne sis longius,an hic terminaturus inediam, tantisper expecta, dum hinc digressus post horam ad te recurro. Quippe optasset Ignatius, ut eam quoque jejuniis metam, quam ipse quondam attigerat, cum jam prope abesset, Faber attingeret. Idcirco ad consulendum Deum proximam discessit in ædem, et post horam reversus ad Fabrum, progredi in jejunio longius vetuit. Tum et cibum et ignem afferri jussit, ut hominem reficeret ac recrearet, longius etiam producturum inediam, si permisisset Ignatius. Facile hic annotabit nonnulla, qui in libro Exercitiorum Regulas *de victu temperando* et Additionem decimam hebdomadæ primæ attente legerit. At Fabri inter has Contemplationes adeo strenue versantis ita dilatus est animus, tantisque subito cœpit suavitati-

Fabri ardor in additione decimâ servandâ, nominatim circa victum, & circa somni & strati modum.

bus, ac splendoribus circumfluere, ut non modo in sua illa de accipiendo consecrationis honore sententia permanserit, sed eodem consecratus anno Sacerdos, qui seculi fuit trigesimus quartus, ætatis vero ipsius duodetrigesimus, Divino se famulatui et animarum saluti devoverit; factus jam tanti Patris quodammodo primogenitus, et dignus habitus, cui non modo antiquitatis et dignitatis facile primas, verum etiam virtutis et probitatis, alii deinceps Sodales octo deferrent.

6. Franciscus Xaverius Ignatio jungitur. *Ibidem.*

Ex eodem S. Barbaræ contubernio alter Ignatio Socius junctus est Franciscus Xaverius, nobilis Navarrus, idemque non vulgari eruditione, quippe qui laurea Magistrali donatus 15. die Martii anno trigesimo supra millesimum quingentesimum, per tres deinde annos et medium Lutetiæ publicus Aristotelis interpres extitit. Is alta quædam versabat in animo, splendida magis ac speciosa quam frugifera et salutifera, volebatque, sicut ab anno prope millesimo usque ad id tempus majores sui armis, sic ipse doctrinæ gloria ac sapientia domesticum decus adaugere. Hoc se animo Lutetiam contulerat, hoc consilio, nullis disciplinæ vigiliis, nullis laboribus temperabat. Erat quidem quotidiana congressione et consuetudine junctus Fabro et Ignatio; at Ignatium de rerum humanarum inconstantia et brevitate nonnulla memorantem et Evangelicum illud *Quid prodest homini si universum Mundum lucretur?* interdum suggerentem, initio procacius irridebat, et saluberrima præcepta, non modo ab animo, verum etiam ab auribus excludebat. Ipsum tamen et divitiarum affluentia, et vivido ingenio, et corpo-

Priùs Ignatii monita irridet.

ris viribus quodammodo ferocem, admirabili prudentia et lenitate paulatim mansuefecit Ignatius. Præ oculis etiam habebat Xaverius amicum suum, et condiscipulum Fabrum, ingenii doctrinæque fama præclarum, cernebatque illum salutis iter ingressum, in eoque fere quadriennio, non presso leviter, sed firmiter fixo hæsisse vestigio, miro cursu ac progressione virtutis ; non potuit videlicet ingenuus homo diutius, quamvis natura fervidior, seu perpetuis divinæ gratiæ stimulis, seu utriusque contubernalis exemplis, tamquam calcaribus obluctari. Optabat quidem Ignatius, quamprimum per Exercitia Spiritualia Xaverium magis magisque expolire, et in susceptis melioribus consiliis confirmare : at, ne id fieret, obstabat munus in Belvacensi Collegio Philosophiam Auditoribus tradendi. Sed postquam ipsi otium a Scholastica illa occupatione fuit, tanto ardore ad Exercitationes spiritus sese applicuit, ut tum ad carnis macerationem quatuor dies jejunus omnino transegerit, tum vero, quod inter juvenum greges desultor eximius, corporis agilitate sibi nimium placuisset, ad ejus piaculum vanitatis, membris valido funе perstrictis, non sine acri sensu doloris dies aliquot in commentandi orandique labore atque attentione perstiterit : ac denique sui victor in sinum Ignatii tanto prolixiore et fidentiore animo se projecit, quanto antea angustiore atque obstinatiore refugerat : ut ejusdem propositi, ejusdemque factus particeps mentis, consimilis etiam fundamenta poneret Sanctitatis.

Exercitia ob lectionem Philosophiæ differuntur.

Postea tanto ardentius assumuntur.

Ardor maximè enituit in Additione decimâ : nominatim circa victum, & circa ipsam carnem macerandam.

7. Quidam ob Xaverium conversum

Humanæ salutis hostis ingentem sibi a Xaverio cladem illatum iri præsentiens, non jam

Exercitiorum librum, quod aliquoties frustra tentaverat, sed ipsum Libri Auctorem Ignatium e medio tollendum censuit, ut simul cum ipso tam sibi infestarum commentationum spiritualium concideret : et vero invenit, quem ad id scelus impelleret, hominem et animo et manu satis promptum. Michael quidam Hispanus, studiosissimus Xaverii cliens, ut qui in eo forte spes suas conditas et locatas habebat, cum Patronum suum in secreta se loca frequenter abdere, et solito crebrius cum Ignatio, raro cum aliis communicare sensisset, suspicatus id quod erat, Xaverium mediis ex honoribus ad humile vitæ genus Ignatii consilio fuisse traductum, inusitata rabie efferatus, in Ignatium manus injicere decrevit, strictoque gladio furens, ejus in hospitium irrupit, negotium utique confecturus, nisi hujuscemodi ex occulto missa voce perterritus : Quo miser raperis ? quo festinas insanus ? illico destitisset. Quod ipsemet Michael, reversus ad mentem, agnoscere tunc quidem, et confiteri palam non dubitavit. At, diabolo instigante, virus in animo recruduit, ac deinde Romæ turbulentissimæ contra Exercitia illa et nascente Societate tempestatis, vel auctor, vel pars magna fuit, ut in loco narrabitur.

statuit Ignatium Exercitiorum Authorem occidere. *Ibidem.*

Fabrum et Xaverium imitati sunt Jacobus Laynez et Alphonsus Salmeron. Erat Jacobus annorum duorum circiter et viginti, ex Almaçano Diœcesis Seguntinæ Oppido, locupletibus honestisque, Alphonsus vero annorum ferme novemdecim, Toletanus, tenuioris fortunæ parentibus natus. Uterque confecto Compluti Philosophiæ curriculo,

8.
Jacobi Laynez & Alphonsi Salmeronis primus ad Ignatium accessus. *Ibidem.*

Jacobus etiam Magisterii lauream adeptus, Alphonsus græce latinequc haud mediocriter eruditus, Parisios venerant, partim Theologiæ causa, partim etiam Ignatii dignoscendi gratia, cujus de laudibus jam tunc in Hispania constanti hominum sermone multa cognoverant. Et prope divinitus factum est, ut eo ipso die qua Lutetiam attigit Jacobus, in diversorio quod sibi delegera tex equo desiliens, in Ignatium quem quærebat incurreret, soloque aspectu, numquam tamen sibi antea de facie notum, eum ipsum esse conjiceret, ejus videlicet simulacri consimilem quod sibi ipse crebris sermonibus jam in animo finxerat. Cum eo igitur sine mora congressus, dum sese indicat, et sui causas exponit adventus, amicitiam momento contrahit, et sodalem ad eum suum hebdomada prope elapsa perducit. Ignatius variis obsequiis sibi magis magisque devinctos, tandem ambos ad Exercitiorum Spiritualium secessum induxit. Præstiteruntque id tanto animi ardore, ut, præter tres primos dies sine ullo alimento transactos, Lainius quindecim insuper dies solo pane et aqua contentus vixerit. Nec deerant cilicia, flagellationes, vigiliæ, et durus in assere cubandi modus. Itaque expleto in orationis exercitatione convenienti dierum curriculo, perfacile inducti sunt, ut ipso cum Ignatio Societatem inirent, seque totos ipsi traderent.

In Exercitiis ingens eorum fervor in pœnitentiâ triplici exteriore.

Non multis interjectis diebus Nicolaus Bobadilla, Palentinus, ad hos quintus accessit. Is confectis item Philosophiæ spatiis, quam et Vallisoleti publice docuerat, eadem incensus cupiditate sua Lutetiæ persequendi studia, cum adversaretur egestas, confugit ad Ignatium, qui et opinione et auctori-

9. Nicolaus Bobadilla, mense in Exercitiis exacto, quintus ad Ignatium Socius accedit. *Ibidem.*

tate et gratia jam parta, multis putabatur Adolescentibus in ea Academia, re domestica destitutis, honeste posse, et cum dignitate consulere. Quo ex numero Bobadilla cum esset præter sumptus in studia necessarios, illud insuper est assecutus, ut cujus tempestivam expertus erat benignitatem, ejus instituta non dubitaret amplecti, et mense in Exercitationibus spiritus exacto, perpetuum se Ignatio Socium addixit.

10. Simon Rodericius, cum vacasset Exercitiis, totum se Ignatio conjunxit. *Ibidem.*

Vacabat in Academia eadem tum quoque Philosophiæ, Lusitani Regis impensa, Simon Rodericius, Lusitanus, ætate florens, indoleque præclara. Is multo ante quam proximi tres, usu aliquo conjunctus Ignatio, cum ad mutandam in obsequium Dei superioris vitæ rationem divino raperetur instinctu, cogitationes de cœlo acceptas tacito fovebat in pectore. Cum vero per consuetudinem quam cum Ignatio habebat cresceret paulatim fiducia, die quodam cogitationem de Jerosolymitana profectione, quæ sibi inciderat, et cœlestia sua desideria eidem aperuit, ex quo cum intelligeret idem ipsi concilium esse, in terra sancta omnem vitam animorum æternæ saluti impendere, videbatur sibi novo quodam splendore cœlitus perfundi. Cumque vacasset commentationibus spiritualibus, totum se cum Ignatio conjunxit, nondum doctus, ut testatum literis ipse reliquit, quid ea de re superiores socii tacitis animis agitarent. Inter Exercitia vero spiritus, quia necdum vires satis erant restitutæ, post longam corporis infirmitatem, ardor voluntariis pœnis corpus affligendi omnino moderandus fuit.

Moderandus in eo fuit ardor pœnitentiæ ob debiles vires ex prævio morbo.

11. Ignatius prædictis

Prædicti sex Socii et Ignatius Anno 1534 ipso

sex Sociis Fabro commendatis in Hispaniam tendit. *Orland. lib. 1. n. 99. Maff. lib. 2. cap. 1.*

Assumptæ in Cœlum Virginis die, in Monte Martyrum non procul Parisiis, operante Sacris Fabro, religione voti se obstrinxerunt Jerosolymam navigandi, et si Venetias appulsis nullus in Palestinam aditus patefieret, tamen navigationis opportunitatem, adhuc anni curriculum expectarent; qua desperata, tum demum peregrinationis se voto liberos intelligerent, et ad Romanum Pontificem in ejus futuri potestate redirent. Cum autem dies proficiscendi Parisiis in Italiam dicta esset ad

Anno 1535.

octavum Kal. Febr. anni ejus sæculi septimi et trigesimi, Ignatius Fabro Socios commendans, anno quinto et trigesimo sæculi jam dicti, postquam octo annis substitisset Parisiis, in Hispaniam etiam Sociorum negotia quædam curaturus, præcessit, inde Venetias perrecturus, ibique Socios ad constitutum tempus expectaturus.

12. Faber Claudium Jaium, Joannem Codurium & Paschasium Broetum tres novos Socios per exercitia prioribus jungit. *Orland. lib. 1. n. 100 & seq. Bartoli lib. 2. n. 27.*

Absente Ignatio ad sex nominatos Socios, opera Petri Fabri accesserunt tres alii, Claudius Jaius Gebbennensis, Theologus et Sacerdos, et aliquanto post tempore Joannes Codurius, Allobrox Ebredunensis, et Paschasius Broetus, Picardus. Hi omnes, sicut priores sex, impulsu plane divino, cum alter alterius consilium adhuc ignorarent, post exactissimam totius vitæ confessionem, Spiritualibus Exercitiis diligenter exculti, vehementi quadam motione sese non quidem in umbram ac solitudinem, sed in solem ac pulverem evocari ad prælia Domini prælianda senserunt, nec fuit e novem ullus fere, quin ad propitiandum cœleste numen, ejusque voluntatem suppliciter exquirendam, præter ceteram abstinentiam, et incommoda voluntaria, tridui, ut minimum, totius inediam sponte per-

13. Quanto ardore novem primi Socii vitium gulæ expugnarint. *Ibidem.*

tulerit, nimis audaci fortasse consilio, nisi eos et multorum exempla et fervor simul ætatis ac pietatis excuset. Sane numquam dignus Christi castris miles erit is, qui, prout docemur in Exercitiorum libro, gulæ, quod est quintum inter septem capitalia vitia, rebellionem non oppresserit, et superaverit. Non miremur vero, quod hi ultimi tres ad Christi militiam pares cum prioribus animos attulerint. Nam, vel ipso Ignatio judice, tanta in excolendis per Exercitia animis dexteritate valebat Faber, ut nullus ei esset secundus. Hi igitur postremi, dum ceteri in monte Martyrum solemni Virginis Assumptæ die sua vota renovabant, anno seculi illius trigesimo quinto, iisdem se votis obstrinxerunt, quæ, anno sexto et trigesimo, eadem recurrente festivitate, omnes simul ibidem renovarunt. Atque hæc sunt prima Societatis Jesu exordia, Ignatius videlicet, et novem hi Socii, omnes per Exercitia a Diaboli vexillo abstracti, ad optimi Imperatoris Nostri Jesu Christi vexillum adducti, qui per eadem Exercitia innumeros per universum terrarum Orbem, ex Idololatriæ et hæreseos barathro, et ex peccatorum cœno, in rectam salutis viam reduxerunt, qui denique per eadem Exercitia, fœcundam Societati ipsi posteritatem procrearunt, ut deinceps narrabitur. Istud tamen memoria tenendum, præter hos novem Socios, plures alios per Exercitia spiritus a turpi ac flagitiosa vita non modo ad sobrietatem et continentiam, sed etiam ad contemptum rerum mortalium, atque ad salutaria consilia Christi fuisse conversos.

14. Fabri in Exercitiis tradendis dexteritas. *Ibidem.*

Societas ejusque fructus, ab Exercitiis ortum habent.

Ignatius, cum in Hispania, tanquam miles sub signis Christi merens, ad Ducis sui gloriam multa

15. Ignatius Venetias venit.

præclare gessisset, quæ, quantumvis vi Spiritus Exercitiorum gesta, pluribus enarrare non est instituti nostri, confectis suis suorumque negotiis, ad finem anni millesimi quingentesimi trigesimi quinti Venetias pervenit, Socios istic præstolaturus.

16. 1536. Quanti Ignatius Exercitia faceret. *Orland. lib. 1. n. 132.*

Inde absentibus quoque consulturus, ad eos literas dedit, quarum unius caput, unde appareat de Exercitationibus spiritus quid B. P. sentiret, posteritate dandum est. Ad Emmanuelem enim Mionam Sacerdotem gravissimum, quo usus ipse quondam Compluti confessario fuerat, Parisios scripsit his verbis : *Magnopere aveo cognoscere, quemadmodum res tibi processerit : neque id sane mirum, cum tantum tibi in re pietatis, nempe ut parenti filius, debeam: Cujus etiam egregio amori, tamque prolixæ voluntati, quam in me habuisti semper, ac re ipsa comprobasti, ut responderem atque in hac vita aliquam gratiæ partem referrem, rogavi te, ut ad mensem Exercitia susciperes sub eo quem nominavi : atque adeo ipse facturum te recepisti. Precor igitur, id si expertus es ac probasti, ad me perscribas ad Dei obsequium ; sin autem expertus nondum es, per Ejusdem amorem, ac reverentiam, et acerbissimam necem, quam causa nostra obiit, peto, quæsoque, ut in ea te des. Tum vero, si te facti pœnituerit, præterquam quod pœnam nulla recuso, putabo me planum et irrisorem; et irrisorem quidem personarum, quibus tantum debeo. Iterum atque iterum, et quoties valeo, ob Dei obsequium id ipsum flagito : ne ad ultimum Divina Majestas requirat ex me, quod non urserim, neque cunctis meis viribus postularim id quod in hac*

vita equidem possum sentire, et excogitare optimum, tum ut homo sibi ipsi proficiat, tum ut fructus ferat, prositque, et proficiat aliis multis. Quod si priorem ob causam necessarium tibi non sentias, præclara cum æstimatione comperies quantum ad posteriorem conducat. Venetiis Kal. Nov. 1536. Hanc B. Patris cohortationem commendationemque Exercitiorum haud frustra fuisse docuit ejusdem Mionæ tandem ad Societatem ipsam accessus, magnoque cum exemplo præstantis virtutis in ea peracta vita.

17. Emmanuel Miona per Exercitia ad Societatem adjungitur.

Non minori cura saluti eorum, qui Venetiis erant, consuluit. Quibusdam enim primariis viris, tum patritiis indidem, tum externis, prava animi affectione ac vitio laborantibus, non sine copioso fructu, Spiritualium Exercitiorum expertæ virtutis medicinam adhibuit; alios insuper ad suæ vitæ rationes prope factos, et sibi natos adjunxit. In iis Jacobum Stephanumque de Eguia, par nobile Fratrum, sibi quondam Compluti familiariter notos, ac tum Jerosolymis redeuntes, earumdem commentationum beneficio tantam ad rerum divinarum intelligentiam, et humanarum contemptum duxit, ut omnibus divitiis et honoribus abdicatis, Christi consilia omnino sequi decreverint. Atque hos imitatus est postmodum Baccalaureus Jacobus Hosius, item Hispanus, Theologiæ peritus: qui cum ad easdem commentationes peragendas valde propensus esset, verumtamen ex quibusdam iniquorum sermonibus haberet suspectam Ignatii Doctrinam ac dogmata, demum se Ignatio exercendum atque colendum ita commisit, ut multos in cubiculum, quo secessit, secum afferret libros, quibus

18. Ignatius Venetiis Exercitia dat Patritiis aliisque. *Orland. lib. 1. n. 119. Maff. lib. 2. c. 2. Bartoli lib. 2. n. 26.*

19. Jacobus & Stephanus de Eguia fratres per exercitia ad Societatem adducti. *Ibidem.*

20. Jacobus Hosius dum Exercitia inchoat, eadem ut suspecta examinat. *Ibidem.*

Tandem Societati se jungit.

Ignatii dicta scriptaque ad Sanctorum Patrum et Conciliorum trutinam expenderet. Sed ubi appositas ab Ignatio epulas degustavit, tantum abfuit ut in iis veneni deprehenderit quidquam, ut etiam ardenti quodam rerum cœlestium amore inflammatus, mortalibus commodis nuntium sponte remiserit, atque ultro ad Ignatii voluntatem, et vitæ rationes adhæserit.

21. Inter alios Petrus Contarenus Nobilis Venetus per exercitia profecit. *Bartoli ibid. Maff. sup.*

Ex Veneta vero nobilitate in primis eo secessu ac meditatione profecit Petrus Contarenus, qui, multo post, magna cum integritate ac sanctimoniæ laude Paphiensem Episcopatum administravit cum universa illa illustri familia. Sed et aliorum insignis vitæ mutatio est consecuta.

22. Ob ejusmodi præclaros fructus calumniæ in Ignatium sparguntur Venetiis. *Maff. ibid. Bartol. ibid. Orland. lib. 1. n. 120.*

Quæ quoniam nec ab obscuris hominibus, et in oculis celeberrimæ Civitatis fiebant, brevi, ut aliis locis antea, sic tum Venetiis Ignatii pietas in crimen invidiamque vocari cœpta, non ferente diabolo tantam sibi prædam e faucibus eripi : statimque vulgatum ab ejusmodi Commissariis est: Ignatium pravitatis Hæreticæ semel iterumque convictum in Hispania, elapsum e custodia in Galliam profugisse, ac proinde ejus effigiem ab Hispanis Inquisitoribus ignominiæ causa publice concrematam : eumdem Parisiis novas molientem res, inficientemque perniciosæ doctrinæ labe Scholasticos, ubi delatum suum nomen ad Sacra Tribunalia odoratus fuisset, fuga prævertisse lictorum manus, et concilia Magistratuum: hactenus impune cessisse ipsi omnia, quia clam et quasi in latibulis venena sua vendit, et videri illum familiari uti dœmone, quo suggerente fuga sibi mature consulit: jam adesse ipsum, ut inficiat etiam Italiam.

Fortasse non ingratum erit ei, qui hæc legit, si hisce malevolorum figmentis junxero bina Heterodoxorum deliria. Primum est Hæresiarchæ Calvini, qui libro 3. Inst. cap. 4. § 2., de Exercitiis sic scribit : *Omni rationis specie caret eorum deliramentum, qui, ut a pœnitentia exordiantur, certos dies suis Neophytis præscribunt, per quos se in pœnitentia exerceant : quibus demum transactis, in Evangelicæ gratiæ communionem ipsos admittunt. De plurimis Anabaptistarum loquor, iis præsertim, qui Spirituales haberi mire gaudent, eorumque Sodalibus Jesuitis, et similibus quisquiliis.* Alter est Gabriel Lermeus, Calvini pullus, cujus sententia sic exprimit Noster Daniel Bartoli : *Quæ illa est fascinatio, inquit hæreticus ille, quod veneficium, quo Papistæ Jesuitæ invertunt cerebra hominum collocatorum in quodam eorum conclavi segregato a domicilio communi, ubi transacta non tantum nocte, sed etiam meridie ipsa in tenebris, excluso omni lumine, perpetuam contrahunt melancholiam, et continuum horrorem ? Miser, qui eo intromittitur ! Nam quemadmodum qui jam descendebat in antrum Trofonii, sic potest in vestibulo dicere : vale gaudium et tempus amœnum. Nam eo qui intrat homo rationis compos, egreditur inde sensu communi carens et stupidus truncus, mortuus cunctis mundi gaudiis, et vivens in sola tristitia et planctu. Ibi qui latet, nec videt, nec videtur, nisi quando unus illorum Magorum, bis per diem venit vultu attonito similis, et voce demissa dans illi misero suas incantationes paucis lineis, paucis in exigua descriptas charta, quas ipsi per se ruminando, seipsos magis magisque illaqueant et*

23. Calvini de exercitiis deliramentum. *Bartol. lib. 1. n. 20.*

24. Item Gabrielis Lermei Calvinistæ. *Bartoli lib. 1. n. 15.*

fascinant. Quis numeret chimæras, quas formant ? phantasias, quas typis dant ? visa quæ somniant ? plangunt, exclamant, ejulant, haud aliter quam si inferni carceris fumus oculos illis morderet et ante tempus flammarum illarum vim sentirent. Jurant se deinceps quotidie ita victuros ac si eodem vespere essent morituri, et se non usuros rebus terrenis, nisi temporis puncto. Quando denique inde egrediuntur, mundum perinde attoniti circumspiciunt, quasi jam primum nati in lucem prodirent. Circumspiciunt illum, sed diversis a primis oculis, perinde enim ac si in mundo mutata esset scena, apparet illis procellosum mare, in quo æque facile sit naufragium pati, quam navigare. Atque ita, in omni passu quem figunt, videntur sibi in devia vel transversa ferri, ideoque tandem decernunt se in fido portu collocare, amplectendo Monachismum. Jesuitæ autem, si quem nacti sint cerebri non satis compositi et temperati, illum in hac officina tamdiu exercent, fabricant, recoquunt, cudunt, et recudunt, donec denique illum subigant et doment reducantque ad suam sectam. Ex tenero reddunt durum, ex duro ad obediendum faciunt mollem et tenerum ; movent et excitant, si erat piger ; sistunt, si erat vagus. Sic de Exercitiis loquebatur Lermeus, miscens fabulas veris. Nimirum Hæretici, *quorum finis interitus : quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt* Philipp. 3., in cœlesti illo Exercitiorum Spiritualium lumine, noctuarum instar concutiunt. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere.* Sed Venetias revertamur.

1. Cor. 2.

Ignatius cum ejusmodi criminationes, quas quisque pro suo genio fingebat, non modo in vulgus iniquorum opera sparsus, verum etiam ad Legatum Apostolicum Hieronymum Verallum, qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, delatas inaudisset, non tam de sua quam de Sociorum existimatione solicitus, ultro ad Legatum adiit, et acriter institit ut eorum criminum quæstio exerceretur. Quod ita factum, et veritate comperta, honorifice a Legato est absolutus, incumbente in ejus causæ cognitionem Gaspare Doctio qui apud eumdem Legatum Auditoris partes agebat, quique ex eo tempore favere cœpit impense Ignatii rebus, ejusque ad Instituta sic affici, ut ea complecti quarto a confirmata Societate anno decerneret. Sed cum alia denique mens esset Dei, Lauretano Deiparæ Templo præpositus, eumdem in Societatem animum et amorem quem initio susceperat conservavit : quam quanti faceret, plurimis quoad vixit officiis, et iis non vulgaribus, declaravit.

25. Legatus Venetiis Apostolicus calumniis examinatis Ignatium absolvit. *Orland. lib. 1. n. 120. Maff. lib. 2. cap. 2. Bartoli lib. 2. n. 26.*

Interea, dum Ignatius Venetiis inter ejusmodi insectationes proximorum saluti constanter pergit incumbere, ad octavum Januarii diem, Socii, qui Parisiis relicti erant, anno ejus sæculi trigesimo septimo Venetias advenerunt. Nam propter ingravescens bellum inter Christianos Reges maturarunt proficisci, cœperuntque discedere Parisiis quinta Novembris Anni 1536, cum constitutus profectioni dies fuisset vigesimus quintus Januarii Anni insequentis, conversioni S. Pauli sacer. Fuerunt omnes, etiam illi quos Faber Parisiis pepererat, excepti ab Ignatio ingenti cum gaudio, et post dulces amplexus ac mutuam inter se gratu-

Anno 1537.

26. Socii Parisiis ad Ignatium Venetias veniunt : inde, relicto Venetiis Ignatio, Romam tendunt. *Vide Historicos eosdem.*

lationem, plurimas Deo gratias egerunt. Verum duobus mensibus et medio in publicis valetudinariis jam transactis, remanente Venetiis Ignatio, Romam omnes profecti sunt ad Summum Pontificem, a quo potestatem prædicandi Jerosolymis Evangelii facile pro se et Ignatio impetrarunt, atque insuper, ut ad Sacros ordines voluntariæ paupertatis nomine a quocumque Episcopo promoveri possent. Quæ licentia signata fuit 27. Aprilis 1537, atque ita Venetias ad Ignatium reversi sunt, ubi mense Junio ejusdem anni, ipsis Præcursoris Domini Natalitiis, qui Sacerdotes consecrandi erant, per omnes Ordinum gradus, ad fastigium illud provecti sunt a Vincentio Negosantio Arbensi Episcopo.

Româ Venetias redeunt & Sacerdotes fiunt.

27. Quomodo in itineribus ea fuerint executi quæ in Exercitiis meditati fuerant.

Quantum in jam commemoratis itineribus fuerit studium paupertatis, quanta omnium contentio in sequendis et premendis Christi Regis vestigiis per injurias et adversa omnia, quomodo denique ea, quæ meditando de Regno Christi, de duobus Vexillis, de tribus modis humilitatis, deque aliis Mysteriis in recessu Exercitiorum mente conceperant, opere ipso expleverint, pluribus historici nostri narrant, et sunt lectu dignissima. Nos vero limites nobis præscriptos non transiliamus.

28. Solitudine & piis exercitiis per 40 dies sese ad primitias, & ad proximo vacandum parant. *Orland. lib. 2. n. 14 & 15. Maff. lib. 2. c. 4. Bart. lib. 2. n. 32 & 33.*

Cum igitur omnes Sacerdotio essent initiati, et statuissent, Jerosolymitanæ navigationis opportunitate jam quasi desperata, uti Parisiis decretum erat, ne quis omnino scrupulus animis insideret, usque ad finem anni vertentis expectare, salutare admodum visum fuit, tum ad primitias Sacerdotalis Ordinis Divinæ Majestati libandas, tum ut ad Apostolicum proximorum salutem procurandi

munus sese melius compararent, per Exercitia quædam Spiritus mentem solito etiam diutius excolere. Quapropter e tantæ urbis celebritate ac frequentia, in finitima ditionis Venetæ Oppida alio atque alio recepere sese, sibique humiles ad habitandum casas, ruinosas plerasque, et cœli patentes injuriis, ab interventoribus tamen vacuas, consulto deligunt. Hic dum emendicato tenuique cibo victitant, dum diurnis nocturnisque precibus operam dant, dum breves somnos abjecto in stramine de solo carpunt, tandemque corpus suum verberum acerbitate castigant, quadraginta dierum spatio simillimam Angelorum vitam egerunt, quanto nimirum tempore Christum ipsum Dominum ac Magistrum, antequam turbæ sese committeret, latitasse meminerant. Ex ea deinde solitudine, assiduitate precandi, jejuniisque conceptam Spiritus vehementiam cum diutius cohibere non possent, ex umbra in arenam prodierunt, ut quæ divinitus acceperant bona cum proximis communicarent. Itaque in lucem urbium repente convolant, populumque ex editiore loco voce, gestu, pileo convocant. Sermo, ut peregrinorum et hospitum, ex variis linguis fere mixtus ac minime proprius. Verumtatem is erat orationis impetus, ut magna omnino commutatio fieret in vulgus. Quod si quis deinde seorsum ad Patres adiret, veritatis et officii studiosior; hunc vero humanissime exceptum, pro ipsius ingenio privatis institutionibus ab omnem virtutem ac religionem informabant.

Deinde fructus magnos tum publicis, tum privatis instructionibus colligunt.

29.

Ignatius cum Fabro & Lainio Romam pergit.

At Ignatius, coactis omnibus Sociis in unum, cum iis iterum de Palestina peregrinatione deliberabat: cujus cum spes omnis sublata esset, communi

consensu decretum est, ut Ignatius cum Fabro et Lainio Romam iter intenderet, ut sese Romano Pontifici, cæterorum nomine, ad Catholicæ Fidei propagationem et animarum lucra, quemadmodum Lutetiæ voverant, consecrarent. Pervenerunt Romam Octobri mense anni trigesimi septimi ejusdem sæculi.

Pergunt alii Socii per Italiam distributi, tum publicis adhortationibus, tum privatis, Spiritus exercitiis proximo vacare.

Maff. lib. 2. c. 4. ante fin., & c. 5. ante medium.

Interea ceteri Socii præcipuis Italiæ urbibus inter se descriptis, præsertim iis, quæ Studiorum sedes essent, et frequentissima juventute florerent, alii alio discedunt. Bononiam Xaverius et Bobadilla; Senas, Salmeron et Paschasius; Ferrariam, Jaius et Rodericius; Codurius Hoziusque Patavium, destinantur. Ibi in sua quique Provincia eisdem insudant laboribus ad animorum salutem promovendam, quos ante Ignatii profectionem, in una ditione Veneta susceptos narravimus, qua publice per conciones, qua privatim per institutiones et exercitationes Spiritus, omnes ad virtutem erudiendo: idque tanto ardore animi motuque ut cum omnium oculos in se converterent, animos etiam raperent et immutarent. Donec tandem circa mediam Quadragesimam anni 1538, omnes simul, sua quisque Provincia bene gesta, ad Ignatium Romam convenerunt, excepto Hosio, quem Venetiis dicebamus ab Ignatio Spiritualibus Exercitationibus ab humanis ad divina conversum. Is Patavii, quæ Provincia ipsi cum Codurio obtigerat, dum in suo munere intenta cura versatur, brevi morbo solutus corpore ad Deum abiit: cujus animam Ignatius, repente animo a sensibus avocatus, inter Angelorum manus evectam ad Paradisi gaudia vidit pervolare. Superest ut res per

1538.

Dein omnes simul Romam conveniunt.

Exercitia Spiritus gestas, ab adventu Ignatii et deinde Sociorum reliquorum in Urbe, persequamur.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Fundatoris

SOCIETATIS JESU

Liber Tertius

1538.

1. Ignatius Romæ Gasparum Contarenum Cardinalem Exercitiis excolit. *Orland. lib. 2. n. 33 & 34. Maff. lib. 2. c. 6. Bartoli lib. 2. n. 40.*

Postquam Ignatius Romæ, quemadmodum ante convenerat, suam et reliquorum operam Pontifici maximo obtulerat, qui in almo Sapientiæ Gymnasio Fabrum Sacram Bibliam, Lainium Theologiam Scholasticam jussit explicare; Ignatius interim proximorum saluti de more operam navabat, cum aliis artibus, tum vero Spiritualibus præsertim Exercitationibus, quippe ad curandas perturbationes admodum efficaci virtutisque jam pridem expertæ remedio; quibus ille per eos dies præter ceteram turbam, insignes aliquot viros diligenter excoluit. In iis Gasparem Contarenum Cardinalem, gravissimum Senatorem, eumdemque temporibus illis (quod ejus varia monimenta præclare testantur) ingenii et doctrinæ facile principem. Is

Ignatii prudentia et consuetudine usque adeo captus est, tantumque ejus præceptis et consiliis profecit, ut qualem dudum optaverat animi regendi moderandique Magistrum, denique sese Dei beneficio nactum esse affirmaret. Idemque tradita sibi Exercitia (quod exemplum apud hæredes solitum asservari perhibent) sua ipse manu accurate descripsit.

Scripta à Contareno Exercitia apud hæredes servabantur.

Contarenum imitatus est Petrus Ortizius, cujus hortatu et auctoritate olim Parisiis sacer Quæsitor ad suum Tribunal Ignatium absentem citaverat, nunc vero in Urbe Cæsaris curabat negotia. Ille igitur Theologiæ Doctor clarissimus, Ignatii consuetudine degustata, animum ad divinas ejus Exercitationes adjecit, facturus et ipse salutaris illius Institutionis periculum, quam multorum et usus commendabat et fama. Qui quo liberius salubriusque animum exerceret, neve aut Cæsareæ procurationis munus, aut amicorum salutationes obstreperent, perexiguo famulorum numero in Cassinatem montem, secessu olim S. Benedicti ac magnifico hodieque cœnobio et insignium pietate Monachorum familia nobilem, cum Ignatio secedit: ipsoque Magistro, continenter ei contemplationi ad dies quadraginta operam dat. Et pio studio par exitus fuit. Quem, nisi Ignatius auctor fuisset de vitæ summa nihil mutandi, nec decursa jam prope ætas, nec corporis constitutio minus apta retardassent: illico mortalibus rebus abjectis ad laboriosum Ignatii vitæ genus se adjunxisset. Certe, quod proximum fuit, egregie præstitit, ut et Sanctimoniæ et pietatis exemplo in posterum sui Ordinis hominibus præluceret, et Societatem deinde

2. Petrus Ortizius Theologiæ Doctor, qui Cæsaris negotia Romæ curabat, cùm Ignatio in Montem Cassinatem secedit ad 40 dierum Exercitia.

Orland. lib. 2. n. 35.
Maff. lib. 2 c. 6.
Baroli lib. 2. n. 37.

Venisset ad Societatem, nisi Ignatius dissuasisset.

Ejus de Exercitiis judicium.

nostram quibuscumque posset rebus perquam studiose ornaret ac defenderet. Is gloriari solitus est novum se Theologiæ genus apud Ignatium didicisse, quam tanto ceteris præferret artibus atque doctrinis quanto præstantius est discere ut agas, quam ut ceteros doceas: quippe in hac intelligendi vim dumtaxat, in illa voluntatem insuper expoliri, et ad splendorem summi boni, et æternitatis amorem, totum hominem excitari.

3. Quidam ausus est Ignatium negare Authorem libri Exercitiorum, eumque Benedictinis adscribere *Bartol. lib. 1. n. 21.*

Antequam e Monte Cassinensi descendamus, placebit, ut arbitramur, iis qui hæc legent, cognoscere, quomodo aliquis, qui sese ex Venerabili Benedictinorum Ordine scribebat esse, temerario ausu conatus sit librum Exercitiorum, de quo agimus, eripere S. Ignatio et Societati nostræ eumque abscribere Patribus Benedictinis. Quamvis res tempore disjuncta sit, est tamen loco conjuncta; quin imo, a tempore pridem in Monte Serrato ab Ignatio transacto, fabulæ suæ is, quisquis est, initium desumit. Juvat igitur inde narrationem nostram ordiri.

Prodit liber qui Exercitia S. Ignatii adscribit Garziæ Cisnerio Abbati S. Benedicti.

Diximus supra Ignatium in Monte Serrato, usum fuisse viro insigni Joanne Clanonio Monacho Benedictino, cui non modo anteactæ vitæ noxas exposuit, verum etiam consilia cogitationesque suas patefecerat, et a quo regulas quasdam prudentia plenas, et Tironi in via virtutis perutiles acceperat. Fieri potuit, ut Clanonius tunc Ignatio donaret libellum aliquem pium, et fortassis Exercitiorum Garziæ Cisnerii Abbatis Benedictini. Multis igitur post elapsis annis protrusus in lucem est liber, hoc præfixo titulo: *De religiosa S. Ignatii, sive S. Enneconis Fundatoris Societatis Jesu, per Patres Bene-*

dictinos institutione, deque libello Exercitiorum ejusdem, ab Exercitatorio Ven. Servi Dei Garziæ Cisnerii Ab. Benedictini, magna ex parte desumpta. Liber ille non una in Societatem et Ignatium injuria fœdus, jam dudum a Sacra Indicis Congregatione proscriptus est. Persuadere se posse speravit Auctor ille, librum Exercitiorum, tanta Sapientia spiritus illustrem nequaquam conscribi potuisse ab Ignatio in studio divinarum rerum Tirone, inter mendicos, vel in obscura spelunca tantummodo versatum, et in ejusmodi studiis prorsus inexpertum; hinc videlicet concludit necesse esse ut lucubrationem illam suam ab alio hauserit, atque adeo a Garzia Cisnero. Sed Auctorem illum docebunt artem melius ratiocinandi Auditores, ut vocant, Rotæ Romanæ: *Cum dicta Exercitia facta fuerint eo tempore quo dictus Beatus Pater erat Idiota et literarum ignarus, utique cogimur fateri dictam cognitionem et lumen supernaturaliter infusa potius quam acquisita fuisse.* Ita illi. Habemus hujus veritatis testes gravissimos Jacobum Lainium et Joannem Polancum, qui intimam cum Ignatio habuere consuetudinem. Ludovicus vero Gonzalez in vita manuscripta testatur, quod ex ipso Ignatio accepit: non fuisse ultimam manum libro Exercitiorum appositam antequam oblatus fuerit Summo Pontifici ad examen, sed per intervalla fuisse quædam addita, prout Auctor novum e Cœlo lumen, et majorum in regendis animis usum acquirebat, id quod alibi innuebamus.

Liber ille proscriptus est à S. Congregatione Indicis.

Vix equidem credo ullum de ejusmodi argumento librum repertum iri, qui non aliquid materiæ cum libro S. Ignatii habeat commune: id quod

Cisneri libro accidere etiam potest. At fundamentum de fine hominis ceterarumque rerum creatarum ita apte initio positum, contemplationes de Regno Christi, de duobus Vexillis, de tribus hominum classibus, et plura ordine prorsus admirabili digesta, neque in Cisnero, neque in aliis inveniuntur.

Testimonium Ordinis S. Benedicti Ravennæ datum in Comitiis Generalibus contrà Authorem libri.

Non possum, quin hic dem duo testimonia illustria, ex quibus patebit quid Venerabilis Ordo S. Benedicti sentiat de Authore, contra quem agimus. In Comitiis igitur Generalibus Ravennæ celebratis fecerunt hoc Decretum : *Cum nobis relatum fuerit libellum quemdam, sub nomine D. Constantini Cajetani Monachi Casinensis et Abbatis fuisse impressum, Societatis Jesu existimationi insigniter præjudicialem, doluimus sane, prout par erat, hominis levitatem, et audaciam (si quidem talis scriptionis est auctor, quod nobis difficillime persuaderi potest) summopere admirati. Ac ut Religiosissimis Societatis Patribus, qui tanti a nobis fiunt, quanti egregiam ipsorum virtutem, acdoctrinam fieri æquum est, per nos satisfiat, et ceteris omnibus constet, inconsultis nobis, ac plane insciis prædictum librum prodiisse in lucem, per occasionem nostrorum Comitiorum in unum congregati, istud ipsum publico edicto vulgare ac contestari statuimus; addentes insuper, præfatum D. Constantinum, quod extra Congregationem nostram multis abhinc annis Pontificia authoritate degat, potestati nostræ non amplius quam alium quemvis alterius Religrosi instituti professorem subjectum esse. Quare, si quid ab eo in hoc genere peccatum est adhuc, vel in posterum (quod Deus avertat) peccari contigerit,*

tum ipsos Societatis Jesu alumnos, tum alios quoscumque omnes enixe rogatos volumus, ut certo sibi persuadeant communi totius Congregationis sensui et peculiari in Societatem Jesu observantiæ id omnino adversari ac repugnare. Datum Ravennæ in nostris generalibus Comitiis, die 23. Aprilis 1644. D. Horatius a Volaterris. Scriba capit.

Alterum testimonium Congregationis Benedictinæ Lusitaniæ.

Subsecutum est ab Abbate Generali Congregationis Benedictinæ Lusitanæ testimonium hisce verbis: *Cum nostra Benedictina Congregatio Lusitana summo semper, ut par est, studio et reverentia doctissimam ac religiosissimam Patrum Societatis Jesu familiam prosecuta sit, idque omnes Christianæ disciplinæ, nedum arctioris instituti sectatores, deceat ut charitate simul ambulantes, honore sese invicem prævenient, testamur nos, infrascripti prædictæ Congregationis Abbas Generalis et Definitores, ad hoc specialiter congregati, in libro inscripto Historia Benedictina, vernaculo idiomate Lusitano nuper edito a nostro Reverendo admodum Patre Magistro Leone a Sancto Thoma, Congregationis nostræ Lusitanæ Monacho, et in Conimbricensi Academia primario Theologiæ Professore, nonnulla referri ex Constantino quodam Cajetano, nostræ item Casinensis Congregationis Monacho, quæ ut prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi adversantia, sic minus probabilia quam fides historiæ postulat, ab ipsa Congregatione nostra Casinensi (quam ut Parentem libenter veneramur) decreto publico indicata jam sunt. Quocirca ea, ut sine fundamento a primo Auctore vulgata, aut excogitata, et minus considerate a secundo relata, certe a communi congregationis nostræ sensu*

aliena declaramus. In quorum fidem testimonium hoc scribi jussimus, Religiosos Sacræ dictæ Societatis Patres enixe rogantes, ut de antiqua illa nostra in ipsos quam hactenus experti sunt observantia, nihil detractum vel diminutum fuisse vel etiam in posterum fore, sibi certo persuadeant. Datum in hoc nostro Monasterio Tibanensi, die 29. Octobris, anni 1645. Magister F. Antonius Carneiro, Abbas Generalis S. Benedicti, etc.

Societas in Congregatione Generali Ordini Benedictino gratias agit.

Generalis nostra Congregatio Octava, decreto 13. Venerabilibus illis Patribus S. Benedicti, ut æquum erat, cum summa amoris significatione, pro tam luculenta testificatione, amplissimas gratias retulit. Tanta ubique gentium admirabilis Exercitiorum libri approbatio, tantus in animis hominum fructus, tantus qui in eo continetur Mysticæ doctrinæ splendor, ita istius, quicumque fuerit, Auctoris oculos perstrinxit, ut pulcherrima illa arma, quibus ex salutis humanæ hostibus tot victoriæ reportatæ sunt, Ignatio et Societati nostræ voluerit e manibus eripere : postquam malevoli toties eadem Exercitia, non ut laude, sed ut vituperio digna accusarunt, sicut vidimus, et porro visuri sumus.

4. Franciscus Strada Exercitiis instruitur, et fit Societatis. *Orland. lib. 2. n. 40. Maff. lib. 2. c. 6. Bartol. lib. 2. n. 40.*

Ignatius e Cassinate una cum Ortizio peracta commentatione descendens, in itinere obvium habuit Franciscum Strada Hispanum, præclaræ indolis juvenem, sibi antea non ignotum. Is vel uno Ignatii congressu colloquioque (quæ vis erat hominis in dicendo) cum militandi studio Neapolim peteret, ad meliorem repente militiam vestigium animumque convertit ; et redeuntem Patrem comitatus in Urbem, ibique Exercitiis Spiritualibus

instructus, demortuo Hozio non impar, in locum ipsius, Ignatio vitæ et laborum particeps ac Socius accessit.

Ignatio in Urbem reduce, Socii omnes, permissu Antistitum varia Urbis Templa et compita sortiti, solita sua rem Christianam adjuvandi studia, novo ardore instaurarunt cum ingenti morum commutatione et fructu. Repetiit quoque Satanas suas artes quas nequidquam hactenus, ut vidimus, adhibuerat, ut pusillam et modo natam familiam tantopere sibi adversam everteret. Oritur igitur tempestas omnium teterrima in Socios omnes, et scilicet in Exercitia Spiritualia omnemque Ignatii doctrinam. Res est memorabilis nec leviter perstringenda. Ejus initium Augustini cujusdam Pedemontani temeritas fuit, qui cultu dumtaxat externo ex Eremitarum disciplina se mentiens, reipsa clandestinus erat Lutheri sectator. Is prava Magistri dogmata pro concione disseminabat, simplices mentes dissimulanter ab auctoritate Sedis Apostolicæ fideque catholica conatus avertere: idque eo liberius audebat, quod Summus Pontifex ab Urbe abesset, profectus Nicæam usque, ad componendas Caroli Cæsaris Franciscique Regis controversia. Nostri igitur hominem confestim adeunt, et quid sua ipsi aure perceperint, quidque ab aliis etiam acceperint, narrant: amiceque simul admonent, ut tum sua, tum populi causa, quæ perplexe obscureque jecisset, planius explicet, et ad Orthodoxæ Fidei normam tutius interpretetur. Ille, ut erat extrema tumidus arrogantia, tantum abfuit ut ad aurem peramantes monitores admitteret et dicta sua revocaret,

5. Teterrima Romæ tempestas in Societatem, & in Exercitia Spiritualia. *Orland. lib. 2. n. 47 & seqq. Maff. lib. 2. c. 8. Bartol. lib. 2. n. 42. 43.*

6. Quidam, habitu Religiosus, Lutheranismum Romæ prædicat.

Opponit se Societas Lutheri Sectatori.

ut posterioribus concionibus nihilominus exitiosa prioribus, nec minus impudenter de superiore loco vomuerit. Patres, ne tanta pestis ad Ecclesiæ manaret perniciem, ipsi quoque de suggestis explicant, tacito nomine, latentes hominis fraudes, doctrinæ vitia perstringunt, et involuta vafre mendacia veritatis luce redarguunt. Is, ubi sensit sua patere consilia et novis ab hominibus se potissimum peti, rabie accensus, continuo se per opulentos Hispanos, apud quos usu gratiaque valebat, ad evertenda novi ordinis fundamenta, una cum authore et parente, convertit.

7. Conspirat Lutheranus in Societatem, & in librum Exercitiorum.

Multorum igitur conspiratione facta, quorum duces authoresque quidam etiam feruntur Hispani, eadem opinionum laborantes amentia, Petrus de Castilla, Mudarra, et Barreria nescio quis, contra recentem Societatem fraudes ac dolos consuunt. In Exercitiorum librum velut omni superstitione ac pravitate refertum magno furore debacchantur. Ficta crimina in vulgus spargunt : Ignatium Sociosque, probis omnibus notissimos, in Hispania, Gallia, Venetiis, hæreseos flagitiique convictos, vim declinasse judicii, et ad corrumpendam Sanctitatis specie juventutem, Romam denique perfugisse. Nec eo contenti, subornant falsum testem, qui, veluti studio boni communis adductus, iisdem fere criminibus tota jam curia dissipatis, ad Urbis Præfectum Benedictum Conversinum novos Sacerdotes accersat. Inventus est qui negotium sine recusatione ac sine mora susciperet, Michaël ille Navarrensis, qui ob, Xaverium, in quo spes aliquas suas collocarat, ad Christi paupertatem sectandam inductum, Pariisis in Ignatium manus injecisset,

Conquirit falsos testes contra Societatem & librum Exercitiorum.

nisi divinitus absterritus fuisset, ut supra narravimus: postea tamen B. Patris delinitus obsequiis, etiam aliquamdiu tamquam Socius familiariter cum nostris versatus, non multo post ad ingenium rediit, diremit usum, discidit amicitiam : et qui pro beneficiis debuit esse defensor, haud minus impie, quam ingrate, ingenita quadam barbarie maluit esse delator. Huic igitur non erat difficile, tam ad veritatem cuncta confingere, ut suspicionem Præfecto moveret. Quæ res, quantum Patribus ubique odii invidiæque conflarit, testata est fuga multorum, vel ex iis ipsis, qui ad eorum numerum nuper accesserant, qui ne minima quidem Societate congressus, iis sese conjungere audebant. Jam facti erant omnium peripsema, jam erant ignibus vivi multitudinis ac vulgi vocibus exurendi, quotidieque rumor increbrescebat multis eos magnisque implicatos esse criminibus, et manifestæ hæresis in judiciis fuisse damnatos. Et quamvis, quoties liber Exercitiorum doctrinaque ac mores Ignatii Sociorumque apud Judices accusata, toties absoluta fuerint, passim tamen falsis ejusmodi rumoribus, ut populus semper pronus est ad mala dè aliis credenda et divulganda, fides habebatur. Quinimo fama, non modo Civitatis aures, verum etiam multas jam Provincias et Oppida, præsertim ubi in Ignatium inquisitum olim fuerat, occuparat.

Vulgo calumniis illis creditur.

Ergo Patres, et Michaelis delatione, et aliorum conspiratione comperta, communi consilio decernunt lege agendum esse, et apud eum maxime Magistratum purgandam judicio calumniam, ad quem delata res esset, id quod ausa tentare cons-

8. Patres rem ad Judicem deferunt.

celerata illa conspiratio non erat. Adeunt ipsi nec opinantibus adversariis Præfectum Urbis, et de calumniis permodeste conquesti, rogant hominem ut delatorem totamque illam Criminatorum manum in judicium vocet; et simul edocent ad æquitatem spectare Judicis, ut, (quoniam non modo de fama, quæ cum Dei gloria et animarum causa conjuncta esset, ageretur, sed etiam doctrina incorrupta, et evangelicæ vitæ forma vituperaretur), judicium omnino constituat, ubi suæ testificandæ innocentiæ, et adversariorum confutandæ calumniæ copia fieret. Nam eam potissimum causam B. Patri fuisse tantopere expetendi persequendique judicii, ex epistola, quam ad virum clarissimum, deinde Paphiensem Episcopum, Petrum Contarenum, quem Venetiis, ut supra diximus' Exercitiis suis instruxerat, scripsit, constat his verbis: *Scimus sane ex hoc non factum iri, ut nemo nos vituperet posthac, neque hoc quæsivimus umquam. Tantum voluimus prospectum esse honori sanæ doctrinæ, et vitæ immaculatæ. Numquam anxii erimus, Domino concedente, dum nos dicemur indocti, rudes, loquendi nescii: et item dum dicemur pravi, deceptores, instabiles: sed dolebamus, quod doctrina ipsa, quam prædicamus, non sana diceretur: et item quod via quam ambulamus putaretur mala: quorum neutrum est nostrum, sed Christi et Ecclesiæ ejus.* Ita in literis suis Ignatius. Et sane quid aliud est doctrina et via Exercitiorum Spiritualium, ex qua mores nostros componimus, et in qua ambulamus, quam doctrina, et via Christi et Ecclesiæ? Præfectus ergo, postulationis æquitate permotus, judicium statim dat et Michaelem quamprimum sisti jubet.

Citatur Michael unus e falsis testibus.

Sed antequam judicium perageretur, cum flammis invidiæ propemodum omnia conflagrarent, non plebei tantummodo, sed primariæ quoque dignitatis viri in fraudem inducebantur. Inter illos Joannes Dominicus de Cupis, S. R. E. Cardinalis Sacrique Collegii Decanus, Quirinum Garzonium, cujus in villam, non procul ab Æde Sanctissimæ Trinitatis, in clivo qui mons Pincius nominatur, Ignatius cum Fabro et Lainio initio diverterant: hunc, inquam, Cardinalis, pro veteri amicitia ac necessitudine, ab omni Patrum, non modo familiaritate, verum etiam congressione prohibuit, ne qua videlicet ex facinorosorum, ut ille aiebat, contagione, macula ejus nomini adhæresceret. Cui Quirinus, consulto se jamdudum in Patrum facta dictaque omnia inquisivisse respondit; neque tamen aliquid aliquando potuisse deprehendere, quod non magnopere cum Christiana pietate moribusque congrueret. Hic, Cardinalis exclamans: circumventus es, inquit, istorum, Quirine, præstigiis; nec mirum; lupum aperte invadentem nemo non agnoscit et fugit; at ovium specie blandientem, quis observet et caveat? Ignoras tu videlicet quæ de istorum hominum flagitiis ego ipse comperi. Non sunt isti profecto quales tibi cogitatione depingis. Perturbavit non parum Quirini animum hæc Cardinalis oratio; sed cum Patrum innocentiam et sanctimoniam satis jam notam ac perspectam haberet, plus suis oculis fidei quam alienis auribus habendum ratus, e vestigio Ignatium convenit, et sententia atque oratione Cardinalis exposita, simul quid agendum videretur exquirit. Cui placido ore Ignatius ac

9. Cardinalis Decanus S. Collegii calumniis credit. *Ibidem.*

10. Quirinus Garsonius apud Cardinalem frustra nos defendit.

renidenti: bono, inquit, animo esto, Quirine : brevi exuet hunc Cardinalis errorem, quem ei seu malevolorum calumnia injecit, seu rerum attulit ignoratio ; totamque istam animi opinionem temere susceptam, pari studio ac benevolentia commutabit. Nos autem interim rem Deo precibus committemus. Ergo cum Cardinalis eadem illa Quirini auribus inculcaret : abrumpe istorum hominum usum, ab improborum contagione facesse, Quirinus Cardinalem tandem obsecrat, ut semel accersitum Ignatium coram interroget, atque a præsente deposcat rationem vitæ : neque enim viri esse prudentis quemquam indicta causa damnare. Advocetur sane, inquit ille, ego vero hominem, perinde ut commeretur, accipiam. Dicta die adest Ignatius, atque in intimum conclave solus admissus duas ferme horas cum Cardinali consumpsit. Cujus sermonis gravitate et Divina plane prudentia Cardinalis extemplo mutatus, contemptis suæ personæ titulis, et dignitatis oblitus, Ignatii pedibus se advolvit, credulitatisque suæ veniam petit, et mox abeuntem omni officio ac comitate prosequitur. Ex eo tempore certam panis vinique eleemosynam, quamdiu vixit, Ignatii familiæ singulis hebdomadis assignavit. Atque hæc quidem Quirinus ex Cardinalis ore accepta vulgavit. Verum qui Cardinali lumen prætulit ad Patrum innocentiam pernoscendam, is etiam postea, illustrata veritate, complures qui in eamdem fraudem inducti erant, de errore deduxit.

Ignatius ad alloquium Cardinalis admissus, reddit ipsum nobis amicum.

11. Comparet coram Judice Michael, & ab Ignatio falsitatis

Commodum aderat dicendæ causæ tempus, cum in Ignatii manus incidit epistola quædam Michaelis delatoris ad amicum, summa olim cum Ignatii et

Sociorum laude perscripta. Hanc vocatus ad tribunal Ignatius, cum ad objecta crimina sedate prius tranquilleque respondisset, præsente Michaele mox profert, et subinde quærit ex eo an signum et chyrographum agnoscat, teneatque memoria quæ sua ipse manu perscripserit? Pugnantia quippe ab accusatore dici demonstrabat, et chyrographo refragabatur oratio. His conspectis literis, mox et recitatis, homo audacissimus conscientia repente convictus exalbuit, atque implicatus hæsit, ut ex ipsa oris mutatione Præfectus in suspicionem facinoris venerit et structæ malitiose calumniæ. Quid plura? Diligenti interrogatione ad fontem et caput totius fraudis non obscuris pervenit argumentis calumniatoremque, ipso etiam dissuadente reo ac pro ejus capite deprecante, mulctat exilio.

convincitur, & exilio mulctatur. *Ibidem.*

Adducuntur præterea, eodem Ignatio flagitante, conspirationis principes duo, ut objecta ab eis crimina et in congressibus circulisque jactata in judicio confirment, quo et ea diluendi potestas fieret, et se suosque purgandi. At illi æquitatem Judicii et accusatoris exitum formidantes, vafre astuteque dissimulant habere se quod Ignatio Sociisque opponat, ut qui ad eam diem omnia de cœtu illo præclara atque egregia sensissent. Porro a Præfecto omni ope contendere, ut, quoniam inter eos nihil esset litium, ab exercenda quæstione desistat. Tantumque et amicorum precibus perfecerunt, ut non modo Præfectum, verum etiam Legatum ipsum Cardinalem impulerint, ut controversiæ finis imponeretur. Nec ex ipsis Ignatii Sociis deerant, qui, adversariis sponte cedentibus,

Alii falsi testes declinant, & deprecantur judicium.

12. Sistitur judicium : Ignatius frustra urget sententiam.

dirimendam litem et paci consulendum suaderent. At Ignatius, qua erat prudentiæ laude præditus, veritus ne Societati, quæ se Apostolicæ Sedi pro quærenda hominum ubique salute devoverat, perpetua aliqua hæreret infamia, si adversariorum accusatio domi forisque vulgata, et publicis consignata tabulis, nondum transacta causa supprimeretur, nullis neque precibus, neque minis, ac ne suorum quidem consiliis adduci potuit ut causam ipsam in judicium semel adductam cum ignominia calumniæ desereret : disertisque tamen testatus est verbis in eo se non accusatorum pœnas, quas jam tum eis liberaliter condonabat, sed illatæ infamiæ purgationem deposcere. Itaque, quod a Præfecto Magistratibusque propter Adversariorum gratiam impetrare non potuit ut controversia transigeretur, impetraturum certe se ab ipso Pontifice Maximo Paulo, ejus nominis tertio, non desperat.

13. Ignatio petente, Pontifex jubet procedi ad sententiam.

Is non ita pridem Nicea, adulta jam æstate reversus, diversabatur in Tusculano. Huc Ignatius mature contendit, facilesque nactus aditus, qui sit, quæque ipsius vita, et quas sit antea ab hominibus perpessus injurias, quæve nunc causa apud Præfectum Urbis agatur, non minus fideliter quam fidenter exponit, et ad extremum pro institutæ causæ transactione submisse supplicat. Pontifex, qui, pro singulari sua prudentia, Patrum vitam institutumque clam examinanda et exploranda curarat, collaudata pia Ignatii et Sociorum industria, per cubicularium suum Præfecto nuntiat: judicium Ignatio reddat, et controversiam omnem æquo jure disceptet. Quo ille coactus im-

perio, ad cognitionem causæ revertitur, documento sane mirabili divinæ erga suos famulos providentiæ.

15. Mirabili casu Romam conveniunt ipsi Judices, qui Ignatium absolverant alibi. *Ibidem.*

Nam manifesto Dei numine factum est ut, in ipso articulo pronuntiandæ sententiæ, ii fere, qui Ignatii Judices in Italia, Hispania, Galliaque sedissent, alii alia de causa in ipsa denique Urbe reperti sint. Hi fuerunt Joannes Figueroa, Archiepiscopi Toletani Vicarius, qui Compluti in Ignatium Sociosque sæpius acriter inquisivit; Matthæus Ori ex Dominicana Familia Theologiæ Magister et Inquisitor, apud quem Parisiis Ignatium ipsum falsis item criminationibus semel atque iterum accusaverant; denique Gaspar Doctius, qui Venetiis, Apostolici Legati nomine, ejusdem Ignatii causam, ipso reo postulante, dijudicavit. Quorum æquissimis omnium sententiis, ut olim contra falsas criminationes declaratus est innocens, sic in hac actione et ipse et alii, a quibus erat Societas ipsa conflanda, præclaro virtutis ac probitatis testimonio ab adversariorum calumniis vindicati liberatique sunt.

15. Exercitiorum liber facile defenditur.

Exercitiorum porro liber, ex quo tamquam ex fonte doctrina moresque Ignatii et Sociorum promanabant, judicum ora non pertimuit: cujus sana atque incorrupta doctrina, tot jam doctissimorum Virorum expensa ac decorata judiciis, facile se ipsa a suis vituperatoribus vindicabat. Literæ etiam per id tempus a Civitatibus ubi christianæ rei causa aliquando consederant, tum ad eorum illustranda merita, tum ad confutandas criminationes allatæ: et ex Senensi quidem Civitate pro Salmerone ac Paschasio, tum a Vicatio Generali

Francisco Coscio, tum a divi Jacobi Sodalitate, quo Patres olim diverterant, plenæ commendationis ac laudis ; ex Bononiensi vero pro Xaverio ac Bobadilla ab Episcopo Sebastensi, Bononiensi Suffraganeo, Augustino Zannetto; ex Ferrariensi autem pro eodem Bobadilla et Claudio Jaio ab Octaviano de Castello, Episcopo S. Leonis, Suffraganeo item Ferrariensi Vicario Generali. Ferrariensium porro Dux Hercules, qui Patres liberali quondam et diuturno excepit hospitio, non modo per epistolam, verum etiam per Legatum perspectæ ipsorum innocentiæ et sanctitati testimonium quam præclarissimum dedit. Quibus tot tantisque rebus Patrum causæ undique Suffragantibus, Præfectus Urbis Ignatio Sociisque sententiam ac causam, reclamantibus strenue adversariis, tandem adjudicat, in hæc verba.

B. CONVERSINUS ELECTUS Britovoriensis, Vice-Camerarius almæ Urbis, ejusque Districtus Generalis Gubernator.

16. Ipsa Judicis sententia in qua exprimitur accusatio contra Exercitia. *Ibid.*

Universis et singulis, ad quos Præsentes nostræ pervenerint, salutem in Domino. Cum Reipublicæ Christianæ multum intersit ut eos qui, in agro Dominico, vitæ exemplo et doctrina plures ædificant in salutem ; et item illos, qui, e converso, potius superseminare videntur zizania, publice notos esse ; et nonnulli rumores sparsi essent, et delationes ad nos factæ de dogmatibus et conversatione vitæ, et spiritualibus exercitiis quæ aliis conferunt, venerabilium Virorum, Dominorum Ignatii de Loyola et Sociorum, videlicet Petri Fabri,

Claudii Jaii, Paschasii Broët, Jacobi Laynez, Francisci Xavier, Alphonsi Salmeronis, Simonis Roderici, Joannis Codurii, et Nicolai Bobadilla, Magistrorum Parisiensium, Presbyterorum Secularium, Pampilonensis, Gebennensis, Seguntinensis, Toletanensis, Viscensis, Ebredunensis, et Palatinensis respective Diœcesis. Quæ quidem eorum dogmata, et Exercitia a quibusdam dicebantur erronea, superstitiosa et a christiana doctrina nonnihil abhorrentia. Nos, pro officii nostri debito, ac speciali etiam mandato Sanctissimi N. D. Papæ, circa hæc diligenter animadvertentes, quæ visa sunt ad pleniorem causæ cognitionem opportuna inquisivimus, si forte de quibus prædicti culpabantur vera esse deprehenderemus. Quocirca examinatis primum quibusdam oblocutoribus contra ipsos, et consideratis partim publicis testimoniis, partim sententiis de Hispania, Parisiis, Venetiis, Vicentia, Bononia, Ferraria, et Senis, quæ in prædictorum venerabilium Virorum Dominorum Ignatii et Sociorum favorem, adversus eorum criminatores prolata fuerunt: et ad hæc examinatis judicialiter nonnullis testibus, et moribus et doctrina et dignitate omni exceptione majoribus, tandem omnem murmurationem et oblocutionem et rumores contra eos sparsos nulla veritate subnixos fuisse comperimus. Quamobrem, nostrarum esse partium judicamus pronunciare et declarare, sicut pronuntiamus et declaramus, prædictum D. Ignatium et Socios ex prædictis delationibus et susurris non solum nullam infamiæ notam, sive de jure, sive de facto incurrisse; verum potius majorem vitæ atque doctrinæ sanæ claritatem retulisse: cum certe vide-

remus adversarios vana, et penitus a veritate aliena objecisse, et contra optimos Viros optimum pro illis exhibuisse testimonium. Hanc igitur sententiam et pronunciationem nostram, ut publicum eis testimonium sit contra omnes adversarios veritatis, et in serenationem omnium, quicumque sinistram illam de eis suspicionem prætextu talium delatorum et criminatorum conceperint, faciendam duximus, Monentes insuper, et exhortantes in Domino, ac rogantes universos et singulos Fideles, ut dictos venerabiles Viros D. Ignatium et Socios habeant et teneant pro talibus, quos nos esse comperimus, et Catholicis, omni prorsus suspicione cessante. Ita tamen quatenus in eodem vitæ et doctrinæ tenore, Deo adjuvante, (quod speramus) permanserint. Datum Romæ, in ædibus nostris, die decimo octavo Novembris, millesimi quingentesimi trigesimi octavi. Hujus sententiæ exempla complura testato descripta, ad delendam infamiæ notam omnemque suspicionem ex humanis pectoribus extinguendam, in varias Provincias mitti placuit. Atque ita tandem sedata fuit hæc tempestas, quæ una sævitiam et atrocitatem omnium præteritarum in se quodammodo complectebatur.

17. Infelix exitus accusatorum. *Ibidem.*

Calumniatorum vero longe alius exitus fuit. Senserunt cœlestes iras suæ fraudis ultrices, conspirationis præsertim Duces, qui manifestis ipsi convicti criminibus et opinionum pravitate damnati, perniciem in se ipsi, quam machinabantur Ignatio, retorserunt. Mudarræ quidem effigies, quoniam judicium ignis, lapsus e vinculis, fuga prævertit, media in Urbe concremata est. Qui postea, anno millesimo quingentesimo quinquage-

simo quinto, tantum bonitati fidit Ignatii, ut ad ejus opem confugerit. Nec Ignatius ullam hominis juvandi justam viam omisit. Petrus autem de Castilla æternis tenebris vinculisque mandatus: cui item in morte resipiscenti præsens adfuit de Societate Sacerdos et suprema persolvit officia. Alius etiam, paucis interjectis a lata sententia diebus, cum ex gravissimo et inopino morbo animam ageret, eam demum iniquissimæ suæ pertæsus injuriæ, et peccati se graviter insimulans, exhalavit. Occultus porro ille Lutheri assecla concionator, sceleris architectus et princeps, persona tandem posita, Genevam ad Hæreticorum castra confugit, totus factus e Schola Lutheri: a quo et Liber ille prodiisse dicitur, qui Scripturæ summarium ferebatur inscriptus, merito ab Ecclesia cum auctore damnatus, publicisque execrationibus ac maledictis, cum e piorum Sedibus, tum e cunctis Bibliothecis explosus. Ipse vero ad extremum vivus dicitur fuisse combustus. Nunc quos, post tot adversa, Exercitationes nostræ spirituales habuerint progressus, et quomodo earum usus late propagatus fuerit, explicandum porro est.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Fundatoris

SOCIETATIS JESU

Liber Quartus

Anno 1539.

Post hæc igitur, nonus et trigesimus ejus seculi annus cunctæ Societati faustus et fortunatus et quasi natalis illuxit. Hoc quippe anno adversariis in Judicio magnifice victis, concordissimis animis una Patres conveniunt, et de stabiliendo perpetuæ Societatis fœdere atque cœtu deliberant : atque adeo Societas hoc anno inter Religiosas connumeranda Familias Pontificiæ voci oraculo est pronunciata. In modo deliberandi quem tenuerunt Patres, non pauca sunt quæ ad institutam nostram narrationem pertinere videntur ; quippe quæ modo priori et posteriori eligendi in libro Exercitiorum tradito mirifice congruunt. Hisce tamen operose explicandis non immorabimur, ne pleraque quæ ex admirabilis libri istius præceptis et regulis

1. Patres deliberantes de stabilienda Societate, juvantur Regulis Electionis.
Orland. l. 2. n. 58 & seq.
Maff. lib. 2. c. 9.
Bart. lib. 2. n. 45.

per Societatem præclare gesta sunt, huc itidem revocanda sint.

2. Nomen Societatis Jesu Exercitiis debetur. *Orland. l. 2. n. 62. Bart. lib. 2. n. 36.*

Duo tamen quædam sunt in hac Patrum consultatione decreta, quæ nequaquam tacite licet præterire. Primum est, quod Ignatius censuerit novam hanc Familiam Societatem JESU vocandam esse. Quod nomen non minus dulce quam salutare, cujus vel sola memoria ad Christi optimi Ducis exempla sequendum animos Sociorum identidem impellit, Exercitiis Spiritualibus omnino acceptum referri debet. Nam vocabuli hujus species, inde ex Manresanis de Regno Christi Vexillisque meditationibus, animo Ignatii semper insedit.

3. Decernitur, ut Novitii Exercitia faciant. *Orland. l. 2. n. 64. Maff. l. 2. c. 9.*

Alterum est, quod Patres jam tum inter cætera constituerint : ut Novitii, et qui Societati annumerari vellent, Exercitiis Spiritualibus omnes excolerentur.

4. Antonius Araozius, propter calumnias retardatus, per Exercitia fit Societatis. *Orland. l. 2. n. 67.*

Interea Antonius Araozius Cantaber, ex Oppido Vergara, magno ingenio et animo juvenis, jamque Theologiæ Doctor, ex Hispania ad Urbem accessit, ut Ignatio se, cui sanguine conjunctus erat, et de quo præclara multa audiverat, si coram probaretur, adjungeret. Tametsi aliquandiu retardarat tempus in quod incidit gliscentium calumniarum, tamen ubi tam honorifico sunt discussæ judicio, facile se exorari passus est, ut ad dies aliquot in Exercitiorum recessu propriam aliquam animæ suæ curam gereret. Hic ille rerum omnium quæ sub aspectum cadunt inanitate perspecta, sine cunctatione decrevit in nova sui propinqui familia, æterna illa quæ non videntur inquirere.

5. Senis erant Paschasius & Rodericius,

Sed, extra Urbem, Senas evocamur. Nam mense Maio Paschasius et Rodericius Pontificis nutu eo

cum Strada, & pro exercitiis extra muros conducuntur ædes. *Orland. l. 2. n. 69.*

profecti sunt, quibus tertius adjunctus est Strada. Ibi sanctæ Meditationis exercitatio, ut nova omnibus, et ante id tempus inaudita, sic experiendi cupiditate plurimos incitavit : ad eamque rem separatæ primo extra muros conductæ sunt ædes, quo se liberius contemplandi gratia novi Athletæ reciperent ; sed postea suspicionibus quibusdam exortis, ne qua in Patres commoveretur invidia, continuo in sua quisque tecta remissi sunt. Fructus qui solet prodiit. Sed Sacerdos prætereundus non est, quem hæc cœlestis exercitatio vehementer accendit. Is scenica levitate tota Urbe notissimus, scribebat ingeniose Comœdias, multitudini mox edendas, non ad ejus carpenda vitia moresque notandos, sed ad captandos risus auresque pascendas ; et Sacerdotalis dignitatis oblitus, semet in Theatrum sæpe dabat, mimum agens, exhausto pudore, tanto nequior Actor quanto Poeta præstantior. Sed inter exercendum, oborto de Cœlo luce, pudor rediit, et semetipsum erubuit : odioque sui, ratione excogitavit quemadmodum et ab sese superiores castigaret insanias et offensæ multitudini satisfaceret. Statuit igitur injecto fune cervicibus in frequentissimum venire Templum, et inspectante populo stratus humi delicti veniam simpliciter implorare. Hoc cum Patribus communicato consilio, auctores ei fuere Patres ne rem aggrederetur inconsulto Vicario : si is annueret, ad ipsos rediret, reportaturus extrema responsi. Non potuit datam a Deo mentem non probare Vicarius, ut quod corruperant exempla nequitiæ, pœnitentiæ resarcirent. Nec enim levis est nota Christiani hominis, multoque turpior Sacerdotis histrionem

Postea consilium illud mutatur.

6. Mirabilis conversio Sacerdotis mimici per Exercitia. *Ibidem.*

si velit agere, cum tam gravi Cyprianus Martyr exagitet oratione Christianum qui in hujus adhuc artis dedecore permanebat, ut affirmare non dubitet : nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur. Is igitur magno animo redit ad Patres, rem ocius aggressus : Patres ad Urbis Concionatorem e Franciscana familia hominem mittunt, ut, cum ille ad populum verba faceret, priusquam concionem dimitteret, si ita ipsi visum esset, juberet populum expectare tantisper, ac tum demum suggestum peteret, et quæ ad petendam veniam facerent, ea verbis supplicibus et ardentissimis promeret. Ut in sacro illo suggestu scenicus Sacerdos apparuit, jamque alia in scena alium gestum agebat, suspensa de collo rete, ore exangui, dejectis in terram luminibus, totoque vultu ad modestiam humilitatemque composito, excussit illico multitudini lacrymas qui risus et cachinnos solebat. Valuitque nova illa persona non minus ad sanciendos Christianos mores, quam paulo ante mimica illa ad depravandos ; multoque plus universam concionem vere pœnitentis aspectus quam prioris Concionatoris permovit oratio. Is postea summis a Societate votis et inflammata voluntate contendit, ut in novam familiam, cujus essent ad permovenda pectora tam firma præsidia, nomen daret ; sed moræ impatiens, (longioris quippe deliberationis consiliique res erat), ad Capucinos transiit, ubi reliquam vitam in summa religione traduxit, multo utique lætior horrido illo contemptoque sacco, morte appropinquante, quam si in molli et vano perse-

verasset ornatu. Quis tam eloquens potuisset Orator, aut tam acer ardensque Concionator id homini dissoluto persuadere, quod exercitatio illa spiritus persuasit ? prorsus ut fatendum sit hoc præsidium valere vel maxime ad sanandos animi morbos, et hominum ingenia permutanda.

7. Exemplo Senensium in Monte Politiano multi Exercitia obeunt, Strada dirigente. *Orland. lib. 2. n. 72.*

Franciscus Strada, qui Socius erat Paschasio et Simoni, invitatus per certos homines a Civibus Montis Politiani, qui diei iter non amplius absunt, ad illos profectus est, comitibus Senensibus aliquot, quos ab optimam frugem Exercitiorum disciplina converterat. Ut eo pervenit, paratam continuo messem mira cœpit aviditate colligere, compluresque viri docti gravesque iisdem piis commentationibus excoli Senensium voluerunt exemplo.

8. Ibidem Doctores, post Exercitia tradita Franciscus Strada excitat ad succurrendum caritati annonæ, quod fit mirabili zelo. *Ibidem.*

Quatuor vero de primariis, eosque doctrinæ titulis vulgo nobiles cum ad Societatis meditationes exercuisset, post exposita Sacerdoti vitæ universæ peccata, ad Sanctam Synaxim in ædem quamdam non sine comitatu perduxit. Ea celebrata, quia inibi erat annonæ difficultas et multorum egestas, quærit ex iis paratine sint omnes in Christi gratiam toto Oppido mendicare? cum illi constanter annuerent, imo ad majora se paratos ostenderent, Strada ut eos foveret ardores, in diem Domini proximum prodeuntium agmen indicit, qui pauperibus optata subsidia precario tota urbe conquirant. Proditur igitur ad dictam diem, et Litaniarum sacra carmina concinuntur. Præibat dux ceterorum Strada feriens bacillo fores. Hunc sequebantur Collectores octo, et in his illi, quos dixi, Doctores ; quorum alii aliis vasculis cophinisque et

propendentibus ex humero manticis ea quæ dabantur exciperent. Stupebant omnes et ad inusitatum spectaculum convolabant; doctoresque illos, quos paulo ante velut inclusos fama vulgaverat (sic enim secessum illum exercitiorum interpretabantur) stipem tam demisse atque humiliter corrogantes mirantur attoniti. Ea res vel tenuissimi cujusque liberalitatem exacuit. Hic panem, ille vinum large ac copiose præbebat; alius ligna, sal alius, et alii alia pro suis quisque opibus ac fortunis: pecuniæ insuper non exiguus numerus est congestus: inventique sunt, qui cum aliud haberent nihil, etiam lebetes, ac cacabos exhiberent. Res erat visenda nimis, frequens de fenestris turba prospectans: multique se confestim per scalas, uti poscentibus stipe occurrerent, demittebant. Ea communis misericordiæ vis fuit, ut sæpe inter quærendum exhauriendæ manticæ fuerint: sæpe alia collecta onera deponenda. Ad extremum, toto jam Oppido perlustrato, ad ædes hospitales, prosequente ingenti caterva, divertunt. Ibi, divino numini gratiis actis divisisque pro cujusque inopia benignitatis congestæ subsidiis, agmen ipsum dimittitur. Doctores autem illi tam egregiæ sui ipsorum victoriæ haud exiguum tulere fructum, ingentem animi tranquillitatem ac pacem, quantum nunquam antea sensisse, nec usu percepisse se dicerent. Narrabat ex iis unus, ea se divini æstus dulcedine delibutum, ut præ gaudii magnitudine indices lætitiæ voces continere non posset. Angustum, aiebat, mihi est pectus, animum non capit meum: in cellam propero, ut quam cohibere nequeo inclusa vis Spiritus libere

erumpat, et lacrymis habenæ laxentur. Eo igitur sine arbitris sese abdit, et totus in lacrymas abit, tranquillatis supra fidem, opinionemque pectoribus: ut tum demum usu ac periclitatione perdisceret quanti sit seipsum pro Christo despicere, ac sibimet acriter imperare. Tot tantisque Stradæ promeritis Politiani Cives, ut abeundi tempus affuit, abitum ejus peracerbe tulerunt. Fuerunt qui abire parantem genis rorantibus convenirent, quod tum maxime desererentur cum se potissimum ejus sentirent institutione proficere. Quin fœminæ amplius sexaginta, Exercitiorum Spiritualium studio ac desiderio, Stradæ obsidentes itinera, quasi manu facta discedentem remorabantur, quod dicerent se quoque animas perinde ac viros, quibus earum exercitationum fecisset copiam, suis in corporibus gerere.

9. Mulieres etiam Exercitia petunt. *Orland. lib. 2. n. 73.*

Quemadmodum Pontificis nutu duo illi Patres, Comite Strada, in Hetruriam missi fuerant, sic Ennio Philonardo Verulano, Cardinali S. Angeli, cui Legatio Parmensis abvenerat, Faber et Laynius legationis Comites et rerum Divinarum administri à Pontifice dati sunt. Hi cum de more per conciones privataque colloquia crebram Sacramentorum usurpationem, non infimis mediisque duntaxat, verum etiam summis et ex prima Nobilitate Viris fœminisque persuasissent, Exercitiorum quoque Spiritualium usum sedulo adhibebant.

10. Parmæ Faber & Lainius Exercitia promovent. *Orland. lib. 2. n. 76.*

Julia erat Zerbina sanctæ vitæ fama percelebris, quam aiunt ad menses aliquot nullis vitam epulis, nisi pane illo cœlesti qui totum explet hominem et quem qui accipit numquam esurit, sustentasse.

11. Julia Zerbina obit Exercitia, ac dein aliis fœminis tradit. *Ibid.*

Hæc in interiore domus suæ cubiculo, ubi ex assiduis fere morbis corporisve languoribus decumbebat, Ignatii Exercitationum experta dulcedinem, earum quoque usum ventitantibus ad se Matronis impertiebat: et quæ Virorum prudentiam studiumque desiderant ut cum utilitate tradantur, eas fœmina fœminis toties jam præmeditatas animoque pertractatas expedite satis utiliterque tradebat.

Viri & fœminæ aliis Exercitia dabant, interdum centum simul exercebantur. *Ibid.*

Itaque meditationes rerum Divinarum, ad exercendum, compluribus tum viris tum fœminis proponebantur: quas ut quisque attentissime pertractabat, ita ceteris non persuadebat modo facillime, sed ipsemet statim magister effectus sedulo proponebat: ut interdum centum, et eo amplius eas usurpasse uno eodemque tempore memorantur. Quin Parochi Sacerdotesque ex discipulis repente Magistri ad earum normam Christianæ plebis vitam moresque fingebant. Hinc magni ubique animorum motus, ac magna conversio, præsertim in uno atque altero Sacrarum Virginum Cœnobio, quibus incredibilis quidam religiosæ perfectionis ardor est injectus, in iisque revocata, quæ pene jam ceciderat, disciplina.

12. Cœnobia Virginum per Exercitia reformantur. *Ibid.*

Sed hujus etiam præsidii non exigua ad Societatem ipsam novæ sobolis lucra redibant. Hieronymus Domeneccus Valentinæ Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicus cum Lutetiam Parma contenderet, casuque ad Patres, non Dei tamen sine consilio, divertisset, ab iis comiter exceptus, ad dies aliquot piarum rerum commentatione se dedit. Qua in Exercitatione eo vitæ genere subito captus, dimissis comitibus, Societatem cum Patribus iniit. Quam novam animi inductionem voluntatemque

13. Hieronymus Domeneccus cum Sociis Parisios tendens, Parmæ Exercitiis factis, Nostris se adjungit. *Orland. lib. 2. n. 77.*

comites indigne ferentes, ut eum a proposito revocarent frustra moliti, ad extremum apud Vicarium Parmensis Antistitis criminantur sublatum sibi per vim socium doloque a Patribus circumventum. Ille vero, tactis ante Vicarium Codicibus Sacris, per Evangelii verba juravit, nullius se fraude consilioque deceptum, sed spe tantum salutis inductum, apud Patres aliquantum hæsisse, quorum vitæ genus sibi valde probatum, non potuisse protinus non arripere. Qua depulsa calumnia, ipse quoque non ita mox in partem laboris ac meriti, qui mercedis vocabatur in partem, cupidissimus venit : et ibi cœpit cæterorum animis esse subsidio, unde suæ hauserat salutis, et sanctæ vitæ initia.

Frustra ob id à suis Sociis accusatur.

14. Nominantur plures, qui sic tunc ad Societatem accesserunt. *Ibid. n. 78.*

Eadem ratione associati sunt Paulus Achilles tum Sacerdos, qui strenuam proximis dare operam, et suppeditantis divinæ contemplationis argumentis, et audiendis Sacris confessionibus cœpit : et Elpidius Ugolattus, itemque Joannes Baptista Viola, Sylvesterque Landinus, Jo. Franciscus Placentinus, et alii aliquot, qui suas item curas cogitationesque ad Studium humanæ salutis una cum reliquis contulere.

15. In Lusitaniâ etiam, Principes aliique Exercitiis exculti per Rodericum & Xaverium. *Orland. lib. 2. n. 101 & 103.*

Nec solum in Italia, sed etiam in Lusitania cœperunt Exercitia nostra vigere. Simon Rodericius Olissiponem prospera navigatione delatus, modo peccatorum confessionibus audiendis, modo usitatis meditationibus suggerendis, peculiarem quamdam animarum curam, quamvis ex nausea maritima et quartana febri nondum sibi restitutus hærebat. Postquam vero deinde Xaverius advenit, ejusque complexu febris discussa fuit, commen-

datos sibi a Rege in Aula centum fere numero Adolescentes, lætissimam spem Lusitanici Regni et Religionis, vario officiorum genere ad Christianam pietatem instituere cœperunt : aliosque præterea complures matura jam ætate Viros Principes Dynastasque, cum Sacræ pœnitentiæ mysterio, tum piarum commentationum usu ad ordiendam novam vitam induxerunt : dumque in his muneribus Patrum cogitationes evigilant, non defuerunt qui rebus fluxis repente despectis, quorum incitabantur stimulis, eorum vitæ genus et cursum peterent : ut Socii sex brevi numerarentur.

Sex brevi ad Societatem accesserunt.

16.
Faber, Vormatiæ, per conciones & Exercitia magnos fructus refert.
Orland. lib. 2. n. 112.

Faber quoque Ortizium secutus, relictis Parmæ prudentibus monitis, primus Germaniam de Societate ingressus, Vormatiam, sub diem octavum ante kal. Novembris, attigit : ibique complures, cum Exercitiorum Spiritualium, tum Concionis Sacræ præsidio, adeo animo mutati sunt, ut sicut ipse primus vineam illam de Societate cœpit colere, ita ei primos in Germaniam aditus videatur ipsa debuisse Societas.

Annus Christi 1540. Societatis 1.

Dum hæc Spiritualia Exercitiorum arma per Italiam, Lusitaniam, et Germaniam, non sine insignibus contra Tartareos hostes relatis victoriis, circumferuntur, Romæ, Pontifex Max. Societatem quam superiore anno oraculo vocis suæ approbaverat, eamdem Religionem et Societati inditum nomen quinta Kal. Octob. anno quingentesimo quadragesimo supra millesimum, publicis literis declaravit, confirmavitque, Professorum dumtaxat numero ad sexaginta, ut Cardinales censuerant, coarctato. Estque hic annus ejus seculi quadragesimus, Societatis primus. In illis autem Apostolicis

17.
Pontifex confirmans Societatem, diserte Exercitia exprimit. *Vide literas Apostolicas.*

literis inter ea, per quæ Societas ad finem suum, qui est tum propria, tum proximorum salus et perfectio, tendere debeat, enumerantur diserte *Exercitia Spiritualia*.

A. D. 1541. Societ. 2.

Successit annus Christi millesimus quingentesimus quadragesimus primus, Societatis secundus : quando Lainius, evocatus Roma a Margarita Austriaca Octavii Parmensis Ducis Conjuge, non prius ex Urbe pedem extulit, quam aliquot alios ad Societatem piæ contemplationis exercitatione perduceret. In iis Franciscum Turrianum Burgensem honesto loco natum quem adhuc viridem ætateque florentem, antequam domum reciperetur mors sustulit. Huic contubernalis ac municeps, et fideli junctus amicitia erat Joannes Polancus, Scriptor Apostolicus, qui, ad Exercitationes Spiritus experiendas amici exemplo commotus, magno suo et Societatis bono ad eum animum appulit. Similis Polanco erat Andreas Frusius Carnotensis. Quippe ambo viri tum ingenii laude præstantes, tum multiplici varietate doctrinæ, quam in illo tempestiva gravitas, in hoc innatus quidam lepos, et in utroque singularis modestia, condiebat. Et is Aulæ prætesus, ad certiores in Christi famulatu spes obsequia transtulit.

18. Joannis Polanci & Andreæ Frusii per Exercitia ad Societatem accessio. *Orland. lib. 3. n. 16. 17.*

Sed horum in Societate ortum, aliorum excepit occasus, Marci scilicet Lainii, et Joannis Cordurii, unius e decem. De primo in rem nostram aliquid narrandum est. Erat Marcus Lainius, Jacobi frater, excellenti pietate vir. Is inter suos fratres amantissimus Jacobi fuit, ejusque salutis tam studiosus et cupidus ut, cum de nova quadam Hæreticorum inaudisset secta, qui per id tempus pravis dogma-

19. Marcus Lainius, Jacobi frater, solicitus ne frater sequendo Ignatium in hæresim incidat. *Ibid. n. 18.*

tibus toto Orbe serendis sacra omnia miscebant, suspicari vehementer cœperit homo simplex ac purus, ne eam forte sectam Jacobus quoque, quem ad Clericos quosdam novæ Religionis constituendæ gratia aggregatum esse cognoverat, sequeretur. Quocirca toto triennio anxias tendere ad Deum manus, ne in hæresim fratrem labi permitteret, sed Religionem puram atque integram illibatamque tueretur, et ejus potius esset propugnator acerrimus. Ejus rei gratia Symbolum solebat Apostolicum inter augustissimum Missæ Sacrificium, cui quotidie reverenter adstabat, precationis loco percurrere. Nec prius ab instituta prece destitit quam exploratum habuit cui tandem hominum generi sese frater agglutinasset, et quanto tandem intervallo inita ab eo societas a pestilenti illa de qua inaudierat secta distaret. Itaque non sine Dei impulsu revisendi fratris studio ad Urbem venit. Ubi, dum fraternis monitis atque consiliis piarum meditatione rerum ex Ignatii præscripto animum excolit, Divino afflante Spiritu, eamdem ipse quoque, quam suspectam paulo ante habuerat, Societatem iniit. Postea ad Nosocomium de more missus, in eoque aliquamdiu magna, et rerum humanarum, et sui ipsius contemptione versatus, in morbum incidit, domumque Julio mense reversus extinguitur, primus quem post confirmatam a Petri Sede Societatem in Cœlum merita vocaverunt. Post mortem fratri se videndum obtulit, admonens suos uti parentes per literas solaretur ne se deflerent in terris, cum quo jam recte ageretur in Cœlo.

Ipsemet per Exercitia ad Societatem venit, moritur, & apparet fratri.

Desiderium amissi Marci Laiuii mitigavit Divina

20. Nepos S. Ignatii ex fratre, ad Aulam aspirans, per Exercitia Societatem prælegit. *Ibid. n. 22.*

Providentia, sufficiendo Æmilianum Loiolam B. P. Ignatii ex fratre nepotem, qui, quamquam eo ad Urbem consilio venerat ut in Aulam potius, quam in Societatem se daret, postea tamen Exercitiorum oborta luce, sententiam mutavit, et Aulæ splendoribus Religionis humilitatem prætulit; pietatem videlicet patrui, cui se perpetuo Christi caritate subiceret, æmulatus; factus ex nepote filius, ex propinquo discipulus.

Faber Vormatia Spiram, hinc Ratisbonam cum Caroli Guria ad Cæsareum Concilium, ubi et Apostolicus Legatus intererat Gaspar Contarenus, accessit. Ratisbonæ, a Sabaudiæ Caroli Ducis filio, ad ejus Confessiones audiendas, eligitur.

21. Ratisbonæ, Aulici multi Exercitia obeunt, aliosque ad eadem hortantur. *Orland. lib. 3. n. 26.*

In tanta Aulicorum turba, usque adeo se vulgo probavit, ut ad eum universi concurrerent. Quo fiebat ut viri dignitate, doctrina, generis Splendore nobiles, sanctis meditationibus instituti, de corrigendis suis alienisque moribus sedulo cogitarent, nonnullique, meliores jam sibi redditi, complures alios ad eamdem meditandi rationem blanda cohortatione pellicerent. Fervere præ cæteris Doctor Cochlæus, vir insignis ac prudens, qui non vulgari sui animi bono has ipsas commentationes expertus, gavisusque mirum in modum etiam affectuum reperiri Magistros, quoscumque poterat ad eamdem commentandi normam aut exercebat ipse per se, aut exercendos curabat a Fabro. Quod autem in hac prima profectione Germanica admiratione dignum fuit, nemo ex iis, qui aut Fabro peccata confessus, aut ab eo piis Exercitationibus semel esset imbutus, ab ejus vel benevolentia descivit unquam, vel virtutis disciplina deflexit.

22. Doctor Cochlæus exercetur, & deinde alios exercet, vel à Fabro exercendos curat. *Ibidem.*

In Gallia, Hieronymus Domeneccus et Paulus Achilles, qui studiorum causa cum aliis Parisiis erant, exercebant et ipsi nonnullos quorum tetigerat corda Deus : qui postea vim remedii cœlestis experti, continuo in alios de suis fructibus derivabant. Primus Jacobus Miro Valentinus, ætate florens literisque Latinis et Græcis pereruditus, in eorum partem venit. Is eo jam discendo processerat ut se ad Aristotelicas Scholas explanationesque in eadem florentissima Academia compararet, longius postea sua studia tracturus, nisi alio vitæ cursum, Deo aspirante, converteret. Qui dum in Domeneccum municipem suum incidit, ad usitatas Exercitationes admissus, continuo Societati se addixit, tanta sui ipsius et rerum humanarum despicientia, ut quamvis et ætate et et divitiis et doctrinæ laude præstaret, parentibusque esset unigena et solus hæres, cuncta tamen hæc charitate Christi posteriora duxerit, nullis perinde rebus in posterum, ut sui ipsius submissionis studio et alienæ salutis, addictus.

23. Parisiis, Jacobus Miro, doctrina & divitiis prastans, per Exercitia ad Societatem venit. *Orland. lib. 3. n. 38.*

Hic est ille Miro, qui cum necdum Sacerdotio esset initiatus, primus Rector Collegii Conimbricensis fuit, ac deinde Præpositus Provinciæ Lusitanæ universæ : cujus tam clara ibi celebrabatur fama, ut non nemo diceret : proxima iis quæ India de Xaverii sanctitate sentiret, Lusitaniam de virtute Mironis existimare. Idem ad posterorum memoriam nonnulla de Exercitiis annotavit, quorum dum occasio erit, non omittemus subinde specimen dare : atque adeo jam nunc juvabit quiddam delibare. *Dici non potest,* inquit Miro, *quanti noster P. Ignatius faceret ministerium Exercitiorum.*

24. Quanti S. Ignatius Exercitia faceret. *Bart. lib. 1. n. 20.*

Solebat dicere quod hæc Exercitia essent arma nostra, quibus Deus tantam indidisset virtutem ad promovendum obsequium suum : nec unquam voluit docere alteram orandi methodum, nec permisit ut alterius modi inter Nostros esset usus. Voluit ut hæc Exercitia essent primum spiritus magisterium quo instituerentur Novitii, iisque imprimeretur forma vitæ religiosæ. Probe is sciebat, quod per illa facilis aperiretur via ad perfectionem, et quod hinc etiam gradus fieret ad sublime quoddam orandi genus. Et si quis forte in aliquem spiritus languorem incidisset, per illa restaurabat et restituebat illi vires. Atque ut brevissime totum complectar, censebat ipse quod deberemus ex his Exercitiis accipere animam vitæ spiritualis. Hactenus Miro de S. P. nostro.

A. D. 1540. Societ. 3.

25. Venetiis, Lainius per Exercitia Andream Lipomanum Societati mire conciliat. *Orland. lib. 3. n. 56.*

Interea Venetiis Lainius, non minori cum successu armis illis contra vitia quam alii Socii Parisiis pugnabat. Nam Exercitiorum potissimum præsidio, pietas, quæ apud plerosque languebat, cum publica omnium gratulatione reviruit. Inter eximios pietatis Professores vir erat generis amplitudine, prudentia et aliis populo miris ornamentis præstans, Andreas Lipomanus, vulgo ab Sacerdotio, seu Prioratu, quod possidebat Venetiis, Prior S. Trinitatis appellatus, quanquam et Patavii Prioratum S. Mariæ Magdalenæ habebat. Hic Lainii usu, et meditationum secessu ita animum agglutinavit Societati, ut amore, studio, officio factus sit tamquam unus ex ea. Cujus de virtutibus, et de præclara his initiis consentanea a vitæ clausula, possent multa dici. Ergo non solum suas in ædes Venetiis transferre se ab hospitalibus

Sanctorum Joannis et Pauli, ubi summa charitate habebatur, Lainium voluit; sed etiam Patavini Prioratus ædes excitando Collegio destinavit.

Per id tempus, Ratisbonæ Jaius in colligendis frugibus totus erat: crebro invisebat Antistitem: stimulabat ad optima quæque Canonicos, et propriis in ædibus, modo hunc, modo illum, aut salutaribus privatim colloquiis, aut spiritualibus Societatis Exercitationibus, adjuvabat. *Orland. lib. 3. n. 62.*

26. Spiræ, Vicarius Episcopi per Exercitia zelum contra concubinas concipit. *Ibid. n. 67.*

Spiræ vero, ubi Faber operam suam in colligenda animorum messe utiliter collocabat, Episcopi Vicarius nostris jam antea Exercitationibus institutus, tanto in eos qui fovebant amicas, zelo studioque flagrabat, bello ut palam concubinis indicto, aut universas se spoponderit ejecturum, aut munus suum cito depositurum.

27. Moguntiæ, Faber per Exercitia Monachum ab Apostasia & hæresi liberat. *Ibid. n. 70.*

At Faber Moguntiam profectus, hominem ibi professione olim Monachum, usu exercitationeque rerum Divinarum, ad purum et castum Religionis cultum, ex hæresum labe ac corruptela traduxit.

Interim Antonius Araozius, Sacerdos jam creatus, professionis suæ votis primus post decem in Ignatii manibus rite editis, una cum Jacobo de Eguia remittitur in Hispaniam. Hi ubi Barcinonem attigere, tantam e vestigio nati sunt messem, ut reliquum anni tempus in una illa Civitate fovenda juvandaque consumpserint. Quippe omnium fere Principum benevolentiam, egregiamque voluntatem erga Societatem Proregis ac Proreginæ, Ducis etiam Cardonæ ejusque conjugis, Episcopi, Præfectique Neapolitani Maris, et id aliorum Principum genus experti, ausi sunt vel nobilissimos viros ex hominum turba strepituque rerum humanarum ad

28. Barcinone, tanta erat etiam Principum Exercitia petentium multitudo, ut decem Instituto-res non sufficerent. *Orland. lib. 3. n. 76. 77. 78.*

Exercitiorum otium se vocare, atque in his eum quem dixi Præfectum. Qui, quo liberius a salutationibus amicorum curarumque molestiis Cœlesti illi contemplationi vacaret, in aliud se transtulit domicilium ab interventoribus vacuum, cujus se janitorem velle agere, ne quis talem virum tali munere occupatum interpellaret, Prorex ipse jactabat. Is erat Francicus Borgia, tum Lombai Marchio, paulo post Joannis sui parentis obitu Gandiæ Dux, interiora studia pietatis jam ingressus. Denique in imbuendis pia Exercitatione mentibus, res, ut solet, ex sententia cedebat, petentibusque ne decem quidem Institutores satis videbantur esse facturi : tanta erat Competitorum vis atque frequentia.

29. Olyssipone, per Exercitia multi ad sanctius vitæ genus se convertunt. *Ibid. n. 80.*

In Lusitania versabatur Simon Rodericius cum Sociis duobus, quando supplementum Parisina ex urbe comparuit, paucisque post mensibus ab Urbe Roma. Quocirca, cum operarum numerus Olissipone crevisset, crescere etiam laborum suavissimus fructus cœpit. Præstantiores tamen fructus e sanctis meditationibus petebantur. Quibus familiari adjuncto congressu, tum sanctius vitæ genus complures, tum Societatis instituere nonnulli. Inter alios Emmanuel Godinus Olissipone honesti viri filius ex Aula, qui apud Xaverium, antequam in Indiam solvisset, per sacram Confessionem vitæ anteactæ maculas expiarat; germanique fratres duo, quorum alter item Emmanuel Fernandius, celebris postea Concionator, et perutilis Christi Servus; quartus autem Castellanus quidam honestus vir, et in disciplinis Theologicis jam emeritus, idemque maximæ ædis Concionator

30. Ibidem, quatuor per Exercitia ad Societatem veniunt. *Ibidem.*

Archiepiscopoque Olissiponensi percarus. Nomen literæ vetustæ non prodiderunt, satis tamen certa sunt argumenta Franciscum Netum fuisse, qui dein fratrum suorum causa aliquid turbarum passus in Lusitania, Vallisoletum secessit : ibique, anno 1546, dum miro cum fructu concionatur, summo cum populi totius luctu religiose decessit. Quoniam vero modus, quo ad nos accessit, quidam Exercitiorum fructus fuit, nequaquam hoc loco silendus est.

31. Inter eos, Francisci Neti Concionatoris memorabilis ad nostros accessio. *Ibidem.*

Cum itaque statuisset humana relinquere, seseque cum Simone ipso Sociisque conjungere, ea de re prius populum admonendum putavit. Destinato igitur ad eam rem die, per occasionem instituti sermonis ad Auditores orationem repente convertit, eosque compellans : aut ego, inquit, vera vobis ad hunc diem cecini de loco hoc, aut veritatem celando fefelli. Si vera cecini et qua debui libertate perdocui (quod me fecisse profiteor) relinquitur profecto, ut quæ vobis audientibus de paupertate disserui ea putetis esse verissima. Sed illud mihi forsitan objiciet quispiam : Quomodo tu, secularis homo cum sis et in medio vulgo verseris, ita ista prædicas ? contraria sunt dicta factis. Quam tu nobis paupertatem, quam commodorum despicientiam narras, qui pingui Sacerdotio et Ecclesiæ reditibus dives es ? vitæ tuæ non consentit oratio tua. Hæc et similia sibi ipsi dissimilanter objectans et ratiocinando percurrens, ad extremum ita conclusit: Atqui, ut intelligatis me ex hoc loco fucum vobis non fecisse, sed verissima predicasse, hoc ipso momento temporis linquo omnia, et ad Divi Antonii Archimandritæ (erat ibi domicilium Simo-

nis et Sociorum) recta propero, ut bonis illis cum Patribus Christum sequar. Haud aliter fecit ac dixit, universorum approbatione mirifica. Quod postea exemplum alios etiam quosdam ex eadem Ecclesia non piguit.

Anno 1543. Societ. 4.

32. Romæ vigent Exercitia. *Orland. lib. 4. n. 9.*

Nunc iterum, inchoato anno quadragesimo tertio supra miilesimum quingentesimum, in Italiam, inde per Germaniam, Galliam, Hispaniam, in Lusitaniam redeundum est, collectis ubique illustrioribus Exercitiorum Spiritualium fructibus. Et in Urbe quidem Roma, quemadmodum alii salutares Sociorum labores, sic Exercitationes illi spiritus, cum consuetis successibus vigebant.

33. Parmæ & Placentiæ, statuti a Fabro & Lainio Sacerdotes Exercitia tradunt. *Ibidem. lib. 4. n. 17.*

Faber et Lainius Parma Placentiaque, ubi ut supra memoratum est, simul fructuosam locaverant operam, discessuri, quo constantior ac diuturnior frugum fœcunditas foret, Sacerdotes ex utraque Civitate complures, viros honestos et animarum peramantes in primis, tuendis partis et urgendis cœptis præposuerunt. Qui dum Patrum vestigiis acriter insistunt, et ex eorum præscripto in conservandis animis elaborant, totum triennium, modo Sacramentis administrandis, modo tradendis cœlestibus Exercitiis, modo etiam Christiana explananda doctrina, parandisque egenæ plebi subsidiis, haud vulgari probitatis opinione fructuque duxerunt. Hi, quod ad orationem et piarum rerum commentationem mentes hominum exercerent, vulgo Contemplatores Clerici dicebantur. Et quamquam illi quidem de nostra Societate non erant, quoniam tamen ejus erant imitatores et amici, ansam dedere improbis omnia eorum dicta atque facta criminandi nostrisque Patribus

Clerici Contemplatores vocantur. *Ibidem.*

Calumnias patiuntur. *Ibidem.*

adscribendi, tamquam earum (ut appellabant) Authoribus novitatum. Sed justissimus Pontifex honestis illis Parmensibns Sacerdotibus, ne quid de sua fama atque, existimatione deperderent, publica judicii Sententia, pronunciante Ludovico Milanesio Protonotario et Apostolico Vice Legato, caveri voluit. Quo judicio, et illorum cum dignitate virtus, et adversariorum cum probro calumnia patefacta est.

A Pontifice defenduntur. *Ibidem.*

Agebat interim Moguntiæ Faber, et rationem exercendi spiritus per pias commentationes compluribus de primariis, duobus præsertim Episcopis tradidit, Suffraganeo Moguntino et Nemburgensi Episcopo designato; qui dum ad actionem et usum expertæ contemplationis præcepta revocant, quotidianæ mentis Exercitationi horæ spatium matutinis nocturnisque temporibus tribuebant: ac perbeatus sibi videbatur quisquis ab eo Viro, vel Exercitiorum haurire Doctrinam, vel Sacris posset expiari Mysteriis.

34. Faber, Moguntiæ, duobus Episcopis, aliis primariis Exercitia dat. *Orland. lib. 4. n. 31.*

Sane S. Ignatius, inter omnes quos in disciplina Spiritus erudierat, in arte et industria tradendi aliis Exercitiia primas partes Fabro deferebat, secundas Salmeroni, post hos Franciscum Villanova et Hieronymum Domecchum laudabat: Franciscum vero Strada pro Exercitiis hebdomadæ primæ censebat peridoneum.

35. Judicium S. Ignatii de dexteritate Fabri aliorumque Patrum in tradendis Exercitiis. *Bartol. lib. 1. n. 17.*

Dum Faber Moguntiæ Clerum æque ac populum ad omnem pietatem erudit, ecce tibi Coloniam, ubi Joannes et Alvarus Socii ejus versabantur, per Theologum quemdam celeriter evocatur, quod Ecclesiæ illi maximum ab Hæresi periculum immineret. Sed quoniam Aschaffenburgo Albertus

36. Faber Nuntium ad se Colonia missum Exercitiis instruit, & ad Societatem ad ducit. *Orland. lib. 4. n. 83.*

Cardinalis Archiepiscopus propediem rediturus dicebatur, Faber ad ejus adventum Coloniensem detinuit Nuncium, interimque divinis illum rebus per usitatas commentationes instituit. Cujus is consuetudine, appositisque cœlestium cogitationum epulis degustatis modico dierum intervallo, Societati se dedit, Fabroque Cardinalis concessu conjunctus, cum eodem Coloniam redit.

37. Petrus Faber Petrum Canisium in Exercitiis societati adjungit. *Orland. ibid. n.* 34.

Hic vero paulo accuratius commemorandum est, quomodo in ejusmodi cœlesti commentatione Faber Petrum illum Canisium Neomagensem, ab Geldria Belgii Provincia, qui jam tum et Religionis propagandæ Catholicæ, et contra Hæreticos defendendæ studio flagrabat acerrimo, simillimum sibi socium et adjutorem adjunxerit : ut ipsa morum similitudo duos videretur Petros uno quasi spiritu colligasse. Neomagi materteram Canisius habuit egregie piam, quæ illum, studio pietatis adducta, ut partum suum unice deligebat. Quem cum in deligendo vitæ genere fluctuantem animadverteret, divino instinctu afflatuque, tale ante societatem cognitam oraculum edidit: Tu, inquit, fili, cooptaberis in novum quemdam Sacerdotum Ordinem, quem in Ecclesia sua multorum in salutem parat Deus. Eos ego per visum vidi, et te ad eos adjungi. Is ergo auditis, quæ de Fabri Sanctitate, doctrinaque circumferebantur, Moguntiam eo consilio se contulit, ut quem de fama jam norat, eum etiam de facie nosset. Quem ubi cognovit ac degustavit, animi sui lætitiam his ad amicum testatus est literis : Secundis, inquit, ventis Moguntiam veni. Virum, quem quæsivi, si tamen vir est, et non Angelus, meo magno bono reperi :

et plura in hanc sententiam. Simul vero, atque Coloniam Faber attigit, is penitus societati se addixit inter Exercitia spiritus, octavo idus Maii ipso die suo natali, et Apparationi Archangeli Michaelis sacro : quo die tertium et vigesimum auspicabatur annum. Is e Germanis primus in societatem venit, in aliisque postea regionum earum adjungendis elaboravit feliciter per Exercitationes maximè B. Patris : quas ut ipse mire sibi frugiferas reperit, tota deinceps vita numquam commendare plurimum destitit, seduloque tractare ut sciamus clades per Germaniam late inflictas Hæresi, Spiritualibus Exercitiorum armis potissimum adscribi debere.

Canisius, tradendo Exercitia, multum Germaniæ profuit. *Ibidem.*

E Germania Superiore in Inferiorem, sive in Belgium, eadem arma spiritualia per Socios illata sunt. Lovanii Franciscus Strada in Falconensi Collegio Metaphysicis operam dabat, sed longioris veluti suæ desidiæ pertæsus (sic enim otium illud literarium interpretabatur) memor lætarum segetum, quas antea concursandis Italiæ Oppidis colligebat, optavit etiam ardentiore siti agrum peragrare Lovaniensem. Ac primum Lovaniensis Academiæ Cancellarium Ruardum Tapperum aggressus, virum sane gravem ac doctum, eumdemque ad pietatem propensum, suis sermonibus impulit ut in exercendo de more spiritu ternas quotidie horas ex summis ereptas occupationibus collocaret. Cujus frugifer exercitationis eventus Stradæ vicit expectationem.

38. Strada, Lovanii, Ruardum Tapperum Academiæ Cancellarium ad Exercitia inducit. *Orland. lib. 4. n. 39.*

Deinde Sacerdotem quemdam Cornelium Vishavæum, Artium jam Magistrum, et Theologicis satis imbutum, sua jam sponte ad societatem in-

39. Ibidem, exercet Cornelium Vishavæum. *Ibidem n. 40. 41.*

cumbentem iisdem meditationibus propius ursit. Erat is Mechliniæ, quæ Belgii Civitas est, nec Lovanio longe distans, non minus piis quam honestis parentibus natus ; de cujus sanctimonia et innocentia non pauca narrantur. Cornelius igitur, paucis diebus antequam Lovanium Socii commigrarent, in precatione frequenti supplices ad Deum manus tendere, ut auxilia sibi aliqua piorum hominum demonstraret, quorum societate fruges in Ecclesia Dei longe uberrimas ferret. Itaque divino admonitu exaudivit interius, propediem Lovanii sodalitatem quamdam Evangelicorum hominum cui ipse se conjungeret affuturam. Cujus ille videndæ studio incensus, simul ac Patres appulere Lovanium, tamquam id quod quæreret olfecisset, in perpetuum eis adhæsit. Primus eum Strada convenit : a quo de societatis institutis edoctus inspectoque Diplomate Pontificio exultare gaudio cœpit, palmasque in Cœlum tollere, ruere in amplexum Stradæ, et eam quam sibi narraverat societatem ardenter expetere. Nec mora, sorori satis amplæ familiæ procuratione relicta, compositisque domesticis rebus, ad Exercitia magno ardore animi recessit. Recessus autem is exitus fuit ut inter sacrificandum in abditissimis Eucharistiæ Mysteriis Christo præsenti societatem se voverit initurum. Quanquam inter exercendum congelare quodammodo visus est, et expers esse lacrymarum ac gemitus, expers intimi doloris, ac gaudii quibus animi motibus tangi plerique solent qui has primo Exercitationes attingunt : ut affirmaret Strada frigidiorem se in eis vidisse neminem. Cum tamen vel ipsa vociferante fama

Qui in Exercitiis patitur ariditates. *Ibid. n. 42.*

Vovet inire Societatem.

pernosset quanti candoris et innocentiæ Cornelius esset, qui tam ardenti pœnitentiæ studio corpus domuerat suum, ut quatuordecim ipsis annis, sive ad tutelam Virginitatis, quam perpetuo coluisse creditur, sive ad placandum cœleste Numen, non tam suis quam alienis culpis offensum, textum horrenti crine cilicium continenter induerit. Ceterum, iis Exercitationibus solido magis animi fructu quam sensu quodam interiore perfunctus, susceptoque certo ac stabili de Societate consilio, Stradæ Sociisque auctor fuit ut, relictis quas conduxerant ædibus, migrarent in suas. Hoc Lovanii primum, deinde etiam in tota illa Provincia propagandæ Societatis pignus per Stradam pene Adolescentem divina nobis liberalitas obtulit : ad quod quantum contulerint Exercitationes illæ Spiritus, res ipsa loquitur.

Hoc primum Provinciæ Belgicæ initium. *Ibid. n. 43.*

Cornelium non ita multo post alius quidam Petrus Faber de Hallis, natione Belga, qui et ipse Lovanii Theologiæ operam dabat, subsecutus est ; horumque accessione, accedente insuper Exercitiorum usu percrebro, patens tum janua Sociis nostris aperiebatur.

40. Faber Lovanium venit, ubi plures exercentur. *Ibid. n. 50.*

Sub idem tempus, Faber quoque Colonia Lovanium venit, Octobri circiter ineunte, Cornelio et Sociis expectatissimus : et quamvis Faber ex tertiana febri æger esset, humanitatis tamen, caritatis, industriæ præsidiis fervere Lovanii visa sunt omnia, multique sepositis domesticis curis ad exercendum pie animum excitari. Unus memorandus Theodoricus Hesius, Leodiensis Ecclesiæ Prodecanus Quæsitorque Catholicæ Religionis, qui quondam Adriano Pontifici a Secretis et a Sacris

41. Faber Exercitia dat Theodorico Hesio, Leodiensi Prodecano. *Ibid. n. 50.*

Confessionibus fuerat ; imo cujus consiliis Pontificatum ille suum rexisse dicitur, et quem, propter integritatem vitæ splendoremque doctrinæ, nisi mors intervenisset, in amplissimum Cardinalium Collegium cooptaret. Is cum in has mentis exercitationes esset ingressus, singularem hanc sui fructus significationem egressus dedit, ut ad collocandam in tuto salutem suam totum se Fabro crederet omnemque vitæ cursum tota voluntate permitteret. Faber tamen et ætatis et personæ ratione habita, quarum altera inclinata jam erat, altera sua sponte spectatissimis ornata moribus alienis adminiculis non egebat : tum vero, Leodiensis Ecclesiæ proposito bono, non ei censuit vitæ genus institutumque mutandum ; suasit potius, et quæ possidebat in vita bona, et quæ regebat in Republica munera, ea prudenter administrare, ad Dei scilicet gloriam, et proximorum utilitatem, esseque in Nobili illa Civitate probitatis exemplum, propositum ad imitandum, cum populo universo, tum Clero præcipue. Amplexatus est vir egregius totis præcordiis salutare consilium, et ad optatam actionem, reliquo vitæ spatio sobrie, pie justeque traducto, tamquam bonus fidelisque discipulus revocavit.

Suadet illi ut potius Deo serviat in suo munere, quam in Societate.

42. Parisiis, hoc tempore, Nostri vel inter bellicos motus institutum vitæ Studiorumque suorum in Longobardorum Collegio tenebant. Admittebant ad Exercitia Spiritus non sine præsenti fructu passim aliquos, Paulo de Achille, qui Sociis præerat, institutore. Sacerdosque ex iis Gallus ad eos transiit homo navissimus, qui parentes suspicatus discessum suum ægre laturos, quo ab eis abesset

42. Parisiis, exercentur aliqui a Paulo de Achille, ex quibus Sacerdos quidam Gallus clam parentibus ad nos se jungit. *Orland. lib. 4, n. 53.*

longius, in Apostolici Nuncii comitatum (is erat Aquilegensis Patriarcha) qui per Galliam in Scotiam iter habebat, sese occultus injecit, inde Romam ad Ignatium cum Patriarcha venturus. In Scotia vero quasi unus e Nostris insignem operam pro Catholica Religione navavit.

In Hispania, Compluti, Franciscus Villanova Placentinus, jam natu grandior, Grammaticæ studebat. Tantum tamen abest ut ei quidquam, aut literarum ignoratio, aut generis obesset humilitas et deformitas oris, ut in ejus disciplinam viri docti gravesque, studio incensi divinarum rerum, se sponte traderent ; quos ille in angusto tugurio humilique casa a piis sibi delata matronis, quasi ludo quodam virtutis aperto, in oratione Dei pietatisque muneribus exercebat. Hoc primum semen fuit Complutensis Collegii.

43. Initium Complutensis Collegii per Exercitia. *Ibid. n. 54.*

In Lusitania, Conimbricæ, inter alios Consalvus Sylveria, Comitis Sortellani filius, annorum ille quidem non amplius viginti, postea Martyr in Regno Monomotapensi, novam hanc semitam salutis iniit. Hunc subsecutus est, nobilitate par, pietate nihilo inferior, Rodericus Menesius, Prætoris filius Olysiponensis. Cui Conimbricensi ab Urbe remoto, ut etiam Consalvo, Jacobus Miro, ne propter eorum nobilitatem turbarum aliquid oriretur, exercendis operam dedit. Quamquam mox, cognito a Parentibus utriusque consilio, quidquid ex carne et sanguine turbarum extitit, quod haud exiguum fuit, id filiorum constantia mirabiliter sedatum.

44. In Lusitania, Jacobus Miro in loco ab Urbe remoto, Consalvo Sylveriæ postea martyri, & Roderico Menelio Exercitia tradit. *Ibid. n. 58.*

Anno ejusdem seculi quadragesimo quarto, Lainius in Italia Patavio Brixiam cum migrasset,

Anno 1544. Societ. 5.

45. Brixiæ, Lainius per Exercitia 12 Sacerdotes disponit ad alios juvandos. *Orland. lib. 4. n. 79.*

inter alios juvandi Civitatem modos contemplationis præcepta fuere tradita; eaque re perfectum, ut e Clero duodecim, qui remittendis rite peccatis videbantur idonei (non pauci jam reperiebantur ejusmodi), gratuitam in eam rem operam assiduamque conferrent, et certo die quaque hebdomada convenirent, seseque mutuo incitarent, deque viis agerent quamplurimos adjuvandi. Ergo alia prorsus paucis mensibus Brixiæ facies, vix ut agnosci posset.

46. Patavii, per Exercitia novi Socii etiam aggregantur. *Ibid. n. 80.*

Lainius porro Patavium reversus est. Qui vero de Sociis studiorum causa Patavii versabantur, ii quoque plurimis ad salutem peregrinis æque ac civibus usui erant, Exercitiorum communione præsertim, quibus et novos sibi Socios identidem aggregabant.

47. Faber Socios in Lusitaniam ituros optat Exercitiis armare. *Ibid. n. 82.*

Faber etiamnum Lovanii hærebat, indeque novem a se delectos Socios cum Stradâ, Oviedo et Aragonio ad Rodericium in Lusitaniam destinat, quos omnes per otium meditandis de more divinis exercere cupiebat. Sed cum negotia et tempus id non permitterent, satis habuere sua apud Fabrum expiasse peccata, et post cœleste convivium anteactæ vitæ reddidisse rationem: atque ita Exercitationum illarum partem aliquam delibasse.

48. Faber per conciones multos ad recessum Exercitiorum excitat. *Ibid. n. 86.*

Faber autem cum duobus Sociis, Æmiliano Loyola et Lamberto Castrio Leodiensi, Theologiæ Baccalaureo, sub anni hujus exordium profectis jam in Lusitaniam Sociis, ipse Coloniam rediens, in itinere Leodium, Trajectum, Aquisgranum usque adeo suis concionibus incitavit, ut ex iis urbibus ad eum plurimi Coloniam se venturos, vel Exercitiorum causa vel disciplinæ, reciperent. Hinc

nimirum discimus, et superiore loco ita Sermonem ad populum esse temperandum, ut, dum locus patitur, quædam ad Exercitiorum recessum in animis propensio et aviditas excitetur.

49. Augustanus Episcopus, antea Fabro Exercitiis excultus, eadem repetit. *Orland. lib. 4. n. 110.*

In superiore vero Germania, Claudius Jaius Ingolstadii id temporis versabatur, sed Ottho Truchses, jam Augustanus Antistes, qui postea S. R. E. creatus est Cardinalis, illum sibi expetierat et obtinuerat, nequidquam Academia Ingolstadiana retinere Jaium conante. Jaius itaque ubi Dilingam pervenit, magnam subito spem concepit Catholicæ rei cum apud Clerum, tum apud populum sublevandæ, eo maxime quod reperit in Otthone Episcopo mirificum et eximium Deo placendi studium et se suosque ad meliora provehendi, ut majus optare in animarum pastore vix posses. Is olim, Fabro instituente, meditationes Societatis expertus, iis iterum percoli, et veluti rudis voluit erudiri discipulus, ut tanto uberius Pastorali ex Cathedra sibi creditam doceret plebem, quanto plus ipse privata in Schola cœlestis sapientiæ hausisset.

50. Augustinianus concionator Parisiis per Exercitia proficit, & Canonicus ad Societatem venit. *Ibid. n. 118.*

Persequebatur sua Lutetiæ studia Paulo de Achille moderatore Societas, non literarum modo, verum etiam pietatis ac sanctitatis. Multos enim Paulus ad Sanctimoniam suo incitavit exemplo. In iis nobilem concionatorem Augustinianum, Theologiæ Baccalaureum Sorbonicum, qui novæ hujus Societatis fama permotus, cum piis mentem contemplationibus exercuisset, alios repente mores induit, aliud vitæ inchoavit exordium. Quem honestus Canonicus imitatus, natione Sabaudus, et luculento Sacerdotio dives, ex eadem spiritus officina ad Socios transiit.

51. Barcinone quoque per Exercitia socii augentur. *Ibid. n. 121.*

Barcinone pariter In Hispania, cum Araozius in Lusitaniam tendens cogeretur ibi ob hybernos imbres moram trahere, ex iis qui exercebantur, in Societatem nonnulli cooptati sunt.

Qui hæc, quæque porro narrabuntur, attentius considerabit, mirabitur haud dubie fructus tam uberes messemque tam amplam, successu tam constanti et propemodum certo ubique collectam : et erit fortassis quem subibit hæc cogitatio : cum eumdem habeamus Exercitiorum librum, cur non ubique ex eo nunc eadem existit ubertas frugum cœlestium ? neque enim fas est credere, quod Socii arma illa spiritualia alicubi quasi in armentario reclusa teneant, aut quod lucernam illam sub medio ponant. Cur igitur, cum ex sacro illo recessu homines nunc egrediuntur, non apparet hodieque tanta tamque frequens morum vitæque mutatio ?

52. Cur Exercitia interdum careant suo fructu. *Bartoli lib. 1. n. 17.*

Quamvis equidem nullus dubitet quin etiamnum mirabiles mutationes nonnumquam per Exercitia fiant, proderit tamen hanc in rem afferre sententiam Jacobi Mironis non semel supra a nobis laudati. *Manifestum est, inquit, quod Exercitia, quæ nunc dantur et fiunt a multis, non producant excellentes illos effectus, neque ex iis trahitur magnus ille fructus, qui primis annis erat certus. Nec vero hujus rei altera invenitur causa, neque altera, ut censeo, est, saltem tam principalis, quam quod non accurate inhæreatur methodo et formæ quam P. N. Ignatius præscripsit. Etenim bonum est ex integra causa, atque si quando additiones aliquæ vel Annotationes negliguntur, perditur fructus, qui ex usu integro dependebat. Imo,*

si quæ variatio, si quæ mutatio fiat, dando Exercitia Ignatii, non erunt illa ipsius, sed labor alterius spiritus. Quocirca Additiones Exercitiorum ipsius sunt adeo propriæ his et illis meditationibus, uni et alteri hebdomadæ, ut si aliter usurpentur, carcant suo fructu: idque tanto magis, si interponuntur meditationes aliæ, vel si ad quamvis speciem meditationis quævis species additionis applicetur. Atque hoc quod diximus et rectus usus talium Regularum, est illud quo pracipue distinguuntur varii modi et genera Exercitiorum. Hactenus ille, qui prima illa tempora vivente S. P. Nostro vidit.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Fundatoris

SOCIETATIS JESU

Liber Quintus.

Anno 1545. Societ. 6.

1. Hieronymi Natalis mire reluctantis ad Exercitia & Societatem adductio. *Orland. lib. 5. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.*

Annus ejusdem Sæculi quadragesimus quintus exhibet nobis non minus longam quam eventu felicem luctam contra Exercitationes Spiritus, de quibus agimus ; jucundum erit eam paulo pluribus commemorare. Nam Luctator ille, postquam per Exercitia quodammodo fusus et victus fuit, magna et scripsit et gessit in Societate nostra, habitusque semper inter viros summi nominis summæque Auctoritatis. Hieronymus Natalis is erat, qui cum Parisiis primorum Patrum tempore versaretur, Miona optimo Sacerdote Beatique Ignatii magno admiratore et confessario, qui deinde etiam in Societatem est cooptatus, ad confessiones suas uti cœpit. Quæ res et Lainio primum et postea etiam Fabro facile persuasit, ut cum eo

congredi ausi, de ordienda perfectiore vita studiose agerent. Neuter tamen profecit aliquid, ne Miona quidem, qui cum studeret hominem ad Ignatii ductum consuetudinemque pellicere, non tulit id sedate Natalis præciseque negavit et addidit : Cur tu Ignatianus non es, et esse me vis ? Potuisset unus esse e primis Patribus, et sicut illi Exercitiis perpoliri, si se tunc dedere voluisset. Cum eo tamen nonnullum usum habebat Ignatius, qui, ne ad pietatem sua natura propensum earumque partium negligeret virum, in ædem ab interpellatoribus liberam aliquando seduxit. Hic, eo audiente, longas sane literas, quas ad Nepotem suum in Hispaniam de rebus deserendis humanis et via ingredienda salutis accurate perscripserat, recitat. Qua Natalis incitatus epistola et ex altera parte divinis obluctans impulsibus, Evangelii codicem profert, et ad Ignatium : En, inquit, quem ego sequar, non enim te, qui quem exitum cum Sociis tuis sis habiturus ignoro ; et simul evolat e conspectu. Ex illo tempore diu ille, nec Ignatium vidit, nec ex ejus Sodalibus quemquam. Inde varia in loca digressus, duodequadragesimo ejus Sæculi anno in majorem Balearem in patriam rediit, ubi, ad initium anni quinti et quadragesimi, in summa jucundæ vitæ materia mœstissimus et valetudine incertissima, consedit: ut posset animadvertere se nequaquam in suo loco versari. Nec acres a Deo stimuli defuerunt, salutis ut iniret et perambularet itinera. Omitto quomodo cujusdam Virginis Elizabethæ vitam lectitando, de cujus sanctitate vulgo magna erat prædicatio, et usu Antonii cujusdam Anachoretæ ejus opinione sancto, ad

virtutem incitatus fuerit. Sed acerrimus omnium stimulus fuit Xaverianæ exemplar epistolæ ab amico missum: ubi, post commemoratam ingentem inter Indos animarum messem, de confirmata Societate ab Apostolica Sede Franciscus plurimas Deo gratias agebat. Quod tum primum cum ad aures Natalis venisset, vehementer commotus percutit palma mensam, exclamans: Hoc jam aliquid est. Nuncius quippe confirmatæ Societatis excitarat illi memoriam illius quondam Parisini colloquii quod cum Ignatio habuerat. Quis hic non admiratur Dei sapientiam, rem Romæ in luce Christiani Orbis ac prope domi gestam, Natali nunciantis ex India? Ergo Natalis, nulla mora interposita, Romam constituit petere, tum ut majora sibi quæreret adjumenta doctrinæ, tum ut ex Ignatio peteret pie vivendi præcepta et Sociorum interim paupertatem opportunis levaret subsidiis, nam commutandæ vitæ generis nulla mens erat. Consultus ea de re, cui plurimum tribuebat, Anachoreta, suasit prorsus ne id iter ulla conditione omitteret. Itaque bona suorum venia, qui discessum ejus graviter et moleste ferebant, eodem anno, Julio ineunte discessit, inchoatoque Octobri se Romam contulit. Hic a Domenecco ad Ignatium adductus, pro voluntate cum beato viro sæpius egit. Confirmato dein usu, de Lainio conqueri et Domenecco cœpit quod quædam ad Exercitia spiritus trahere conarentur invitum, quæ utique non ignoraret quantas haberent ad persuadendam Societatem vires, cui multis se nominibus minime idoneum habilemque sentiret: ac protinus totam suam vitam aperuit. Quæ cum attente Beatus

Conqueritur apud Ignatium quod Lainius & Domeneccus ipsi Exercitia suaderent. *Ibid.*

Pater audisset, suaviter id modo respondit : Bene est ; si Deus huc te vocarit, non deerit in quo recte apteque labores. Proinde suis ille rebus melius expensis agitatisque , ad ea quæ formidabat Exercitia se contulit, jam omnia caduca fastidiens ac moræ omnis impatiens ; id quod Ignatii apud Deum patrocinio adscribebat, qui pro se, ut ipse loquitur, preces ad Deum fecisset. Ac dedit operam prudens sancti Patris caritas, ut locus amœnus, ad hominis ægritudinem leniendam idoneus, quæreretur. Hic, duce Domenecco (qui ipsiusmet Natalis testimonio plurimum ea re semper valuit) Exercitationes exorsus, initio totus ardebat cupiditate ut aliqua sibi visio aut revelatio, vel tale extra ordinem signum, ostenderetur. Vitam omnem apud Ignatium expiavit secundumque confessionem hoc illi Pater monitum dedit : Velle Deum ut, quemadmodum viribus ac facultatibus animi corporisque abusi sumus, ipsius ut contra nutum faceremus, gratia ejusdem abjecta, ita, recuperata per pœnitentiam gratia, iisdem viribus ad vitæ emendationem utamur. Quod in illud Apostoli recidit : *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem , ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

In loco amœno a Domenecco Exercitia accepit. *Ibid.*

Rom. 6.

In secunda Exercitiorum heddomada singularem ex meditatione Regis ac Vexillorum profectum sensit. Tum deliberationem de vita instituenda ingressus, usque eo commotus ac perturbatus est, spiritu cum carne luctante, ut non ille mente, non corpore, consisteret. Scribebat multa in partem utramque : suadentia religiosam vitam atque

Ex meditatione Regis & Vexillorum proficit. *Ibid.*

dissuadentia; sed nox omnia erant ac cæcæ tenebræ; obscura mens, voluntas dura, corpus ipsum ab stomacho et capite infirmum, ut Domeneccus animum desponderet moneretque re illa infecta pergendum ad reliqua. Ac Natalis ipse missam rem facere statuerat, nisi proxima nocte summum adhibenti conatum succederet. Illuxit ea ipsa nocte pie perseveranti radius cœlestis, tetraque discussa caligine, totum in virum alterum commutavit. Itaque post diligentem consultationem ad novum e Cœlo lumen, arrepto statim calamo, ut spiritus agebat Christi, summo cum animi solatio hæc exaravit, quæ ex ipso autographo deprompta vulgare juvat.

Eluctatur ex difficili electione status vitæ. *Ibidem.*

Hactenus, inquit, *collegi quæ potui pro utraque vita, et comperi quæ Religioni contraria offeruntur tam esse nihili ut necessum non fuerit illa nominatim diluere. Imo vero ea ipsa quæ refragari videbantur, revera suffragia sunt. Cæterum, quod me gravissime movet, illud est: quod rem plane nullam invenio, quæ contra pugnet, præter quamdam animi abalienationem ac fugam. Id autem maximum ac certissimum signum est eam esse Dei voluntatem: quandoquidem sensus ei, ac depravata voluntas et mundus, honor, ac genus quoddam infidelitatis, cogitando nimium difficultates, adversantur, quæ percipere non possunt Regnum Dei, et contraria sunt spiritui. Itaque, quamvis obstarent, oppugnarent, terrerent omnes difficultates, et multo plures, quam sensi ego, vel omnino illius unquam mortalium sensit, vel objectare Diabolus potest, ego in nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Jesu Christi et Spiritus Sancti, statuo ac propono sequi*

consilia Evangelica cum votis in Societate Jesu, et animo paratus sum facere quæ ad illam attineant, etiamsi velint ut statim voveam. Idque nunc cum summo timore ac tremore, et Domini Nostri Jesu Christi, ipsius summa fretus, qua in me usus est, misericordia, voveo tota anima, tota voluutate, tota virtute. Sit illi gloria. Amen. Die vigesima tertia Novembris, post decem et octo Exercitiorum dies.

Voto hujusmodi nuncupato incredibilem addit, non solum animi voluptatem ac pacatissimam quietem hausisse, sed etiam corpori levamentum, ut tum demum intelligeret quanti sit liberalem in Deum esse, qui se vinci liberalitate non patitur. Ergo auctis animis et novo igne suscepto, die eodem addidit votum, etiamsi Societas ipsum non reciperet, nihilominus tria se Religiosorum vota facturum : quod, paucis post diebus, cum jam tertio Kalend. Decembris, usitatis percunctationibus antegressis, domum ad Ignatium migrasset, ita coarctavit, ut nollet sibi libertatem alibi vovendi remanere, nisi quando nulla re, nullo modo, ad nullum ministerium etiam infimum aditus in Societatem pateret : nec demum si excluderetur, nisi ubi illa consuleret, voturum. Tanto animo, tanta voluntate, per illas spiritus Exercitationes incitatus, Nostrorum cœtui se dedit, a quibus tam diu fugitarat. Cæteras viri tanti virtutes, et res in Societate nostra gestas, in Annalibus, qui volet, reperiet.

Ingreditur Societatem. *Ibidem.*

2. Monita de Exercitiis ab Ignatio data Lainio & Salmeroni ituris ad Concilium Tridentinum. *Orland. lib. 5. n. 23, 24, 25.*

Quoniam hoc anno seculi illius quadragesimo quinto, Idibus Decembris Sacra Tridentina Synodus inchoata, et primus Patrum consessus habitus est, juverit audire quid Ignatius inter cætera

monita, Lainio, et Salmeroni Pontificiis Theologis ad illud Orbis theatrum delectis data, de Exercitiis spiritus præscripserit. *Interdum*, inquiebat, *etiam excitandi homines ad cœlestia per salutaris contemplationis otium: .... in explicandis item Spiritualibus Exercitiis, ut etiam in omni collocutione privata, idem tenete præceptum, ut in publico vos putetis habere sermonem. Et in exhibendis his quas dixi meditationibus, id universe tenendum erit: ne cuipiam ad commentandum alia proponatis argumenta præter ea quæ prima hebdomada proponuntur, nisi forte perpaucis, et iis qui de vitæ genere per electionis locos deliberare velint. Quos tamen ipsos non permittetis ullis se sponsionibus votorum obligare, nec arctioribus inter initia cubiculis includetis. Quin etiam Exercitii leges atque præcepta cuique erunt mitiganda pro tempore, idque tum maxime cum uni omnia meditationum argumenta præscribenda videbuntur.*

Dum suos Ignatius Romæ præceptis tam salutaribus instruit, Lutetiam, bellorum trepidatione transacta, Mediolano Paulus Achilles, Lugduno, quo se receperant reliqui de Societate, se contulerunt, omnes in Collegium Longobardorum et amanter recepti et numero aucti. Erat in his Ioannes Baptista Viola et Joannes Pelletarius, qui quanquam ex Societatis lege vivere per initia non poterant, neque se in vulgus indicare, tamen dum inter otia literarum, modo cœlestibus Sacramentis, modo saluberrimis Exercitiorum præceptis, suam cuique operam navant, contubernales externosque collegas, mirifice ad pietatem et omnem officii laudem inflammabant.

3. Parisiis, per Exercitia Joannes Bapt. Viola & Joannes Pelletarius multum aliis prosunt. *Orland. lib, 5. num. 42.*

Inter hæc Faber et Strada versabantur in Lusitania, et Conimbricæ magnos per Evangelium fecere motus. Testabatur id, præter confitentium turbam, Exercitia flagitantium vis : quorum ex recessu, quamvis multi multis onusti bonis in sua tecta discederent, in Sociorum tamen numerum, non admodum multi, verum lectissimi quique venerunt : inter ceteros Ludovicus Consalvius a Camara, Prætoris Materiæ Insulæ filius, vir claro loco natus, nec ingenio minus doctrinæque varietate nobilis, Græcis Hebraicisque literis eruditus, ut qui Parisiis præstantissimis Doctoribus operam dederat ; Emmanuel Sa apprime doctus, et ingenio valens adolescens ; Antonius Gomius acerrimo inter Conimbricenses ingenio, philosophusque Pontificii item Juris doctus, qui peramplum insuper patrimonium pios in usus pro Christi amore convertit.

4. Conimbricæ, Ludovicus Consalvius, Emmanuel Sa, & Antonius Gomius, per Exercitia ad Societatem veniunt. *Ibid. n. 45.*

Cum subinde Faber et Araozius e Lusitania in Castellam discessissent, quarto nonas Martii Conimbricam Simon Rodericius venit : ubi varii motus ex nimio quodam publicarum mortificationum studio existebant. Ex spiritualium vero Exercitiorum secessu præclara cernebantur in animis lucra, cum ex eis tam commutati homines prodirent ut miraculo pariter et incitamento ceteris viderentur. Quippe tanto ardore animi magnalia Dei loquentes audiebantur, Act. 2. ut illud in eos apte caderet, quod et a multis satis in tempore jactabatur : *musto pleni sunt isti.* Hinc et illud in vulgus fluxit, quod et valde percrebuit : qui apud Patres se semel exercerent, eos sæpe visa videre. Quæ fama ipsum quoque Cardinalem Henricum,

5. Ibidem, mirabiles fructus Exercitiorum extiterunt, ut multi dicerent : Musto pleni sunt. *Ibid. n. 53.*

6. Inquiritur secreto an in Exercitiis visa videantur. *Ibid. n. 54.*

eumdemque supremum in hæreticos judicem tandem impulit, ut per hominem fidelissimum de re tota cognosceret. Dederat autem id negotii Rectori Academiæ Fratri Jacobo de Murcia ex familia S. Hieronymi, ita tamen ut dissimulanter, et sine Societatis nota, in eos qui exercebantur inquireret. Qui dum facit imperata legitimeque fratres nostros de objectis visis interrogat, inventus est qui (Rodericum Menesium fuisse aiunt) se visa vidisse diceret, et quidem horrifica. Cui Rector: Et quænam, inquit, sunt ista visa, quæ dicis? scribamque suum simul admonet, ut quæ narraret, exciperet. Ille vero: Memetipsum, inquit, vidi, quem nunquam antea probe videram, tetrum sane monstrum, et cujus simile nunquam vidi. Ita, dum investigatur improbitas, probitas illustratur.

Scitum super hoc responsum.

7. Vallisoleti, Ferdinandus Sylva, magnus apud Cæsarem, petit scripto sibi tradi precandi viam, etc. *Ibid. n. 66.*

Jam Faber et Araozius Vallisoletum pervenerant, eratque ibi Ferdinandus Sylva Comes Cifontanus magno apud Cæsarem loco, a quo et filiarum custos, quas Infantes appelant, et totius illius Curiæ quasi magister est factus. Is eam de Patribus opinionem hauserat, ut cum ad eos adiret, illud fere haberet in ore: conferamus nos ad Clericos Sanctos; tanta erat de Sanctitate utriusque opinio. Ab eisdemque voluit scripto sibi tradi precandi viam et sui pectoris discutiendi præcepta.

8. Madriti, Filiæ Cæsaris a Fabro meditationibus excoluntur. *Ibid. n. 67.*

Faber vero Madritum excurrit, ubi Caroli filias, iis jam æque notus ac carus, invisit. Apud has verba fecit, et ad paratas meditationes haud invitas admisit. Quarum natu grandior, cum de more rogaretur a Fabro, quid ex adhibita commenta-

tione commodi percepisset, respondit: Roga, mi Pater, Dominum, ut me sibi talem instituat, qualem vestra Societas optat. Concepta videlicet animo vota perfectæ virtutis inter percepta commoda numerabat.

9.
Faber, Vallisoleti, Episcopos aliosque primarios ad Exercitia allicit; unde varii fructus.
Ibid. n. 78.

Junio exeunte, Faber Vallisoletum, ubi Curia cum Principibus versabatur, se retulit, Vallisoletani Collegii fundamenta moliens: complures ibi de primariis Episcopisque ad exercendam de more mentem, quod paulo ante videbantur horrere, mira comitate perduxit. Quos medii homines imitati complures, in alios repente viros, magno Aulæ miraculo commutati sunt, aliis aliud salutis iter ingressis, et expetentibus Societatem non paucis. Faber autem ex multis, quorum corda inter exercendum tetigerat Deus, optimum quemque delegit et in Societatem adscripsit. Ex his initiis magnitudo Vallisoletani Collegii, et Professorum luculenta domus extitit.

Hinc delectus Sociorum, & initium istius Collegii.

10.
Testimonium Jacobi Mironis de varietate fructus Exercitiorum.
Bartoli lib. 1. n. 18.

Libet hic apponere id quod scriptum reliquit Jacobus Miro, cujus supra meminimus, et qui hoc ipso tempore cum magna laude præerat Sociis, Valentiæ. *Fructus,* inquit, *Exercitiorum Spiritualium, non continentur limitibus nostræ Religionis: etiam ad alias se extendunt. Nam impleverunt Monasteria, et in eis multos confirmarunt vacillantes; alios, qui ibidem ducebant vitam liberiorem, reduxerunt ad meliorem frugem, ad leges, regularemque observantiam. Neque solis ordinum Religiosorum Claustris fructus illi circumscribuntur, sed in omnis conditionis, status, ætatis, homines se extendunt. Nimirum Principes, tum Ecclesiastici, tum seculares, et infinita multitudo Doctorum, et*

indoctorum, conjugum et cælibum, juvenum et senum, Deo dicatorum, et liberorum per hæc Exercitia in alios homines mutati sunt, et ex mala ad inculpatam, vel ex bona ad magis perfectam vitam gradum fecerunt. Hactemus Miro.

11. De iisdem Exercitiis pulchrum testimonium Bartholomæi Torres Episcopi Canariensis. *Bartoli lib. 1. n. 19.*

Sed cum Vallisoletana Exercitia nos in hunc locum deduxerint, juverit huic domestico testimonium adjungere hominis externi, doctrina dignitateque illustris : is est Bartholomæus Torres Episcopus Canariensis, qui sic scripsit. *Exercitia usu melius quam speculando percipiuntur. Novi ego viros literatos et ingeniosos, qui ad intelligentiam doctrinæ istius parvi libelli, quæ ita est clara et certa, quemadmodum agit de Evangelio et de Sanctis Doctoribus, videbantur esse destituti literis et ingenio. Deum invoco testem veritatis: paucis diebus, quos Compluti istorum meditationi Exercitiorum impendi, plus ad animi mei utilitatem, scientiæ acquisivi, quam antea per triginta annos studii quos impenderam docendo Theologiam. Quod si quis sibi videatur plurimum in studiis aliis profecisse, non miretur, si id, quod dicimus, non intelligat. Periculum faciat, non speculando; exerceat se, ut ego, et judicabit, ut ego. Quanquam fortassis haud ita difficile est assequi rationem hujus meæ sententiæ: Nam in studiis anteactis mens tota in id ferebatur ut alios docerem id quod speculando perceperam: sed in Exercitiis cogitationem omnem in meipsum referebam ut meditata exequerer. Aliud nimirum est studere ut doceas, aliud cognoscere ut agas. Illud addo, quod cognoverim multos qui se exercuerunt in hisce commentationibus induxerimque ad eas bene multos e meis discipulis,*

tam Regularibus, quam Secularibus; nec unum scio qui iis egressus non sit animo in melius commutato, et qui palam non prædicaret: nolle se istum profectum commutare cum quantovis pretio mundi universi. Faxit Deus ut tantus thesaurus apud omnes habeat pretium et æstimationem quam meretur! Nam cum omnis oratio et meditatio plurimum animæ utilis sit, fit illa ibi tali ordine ac methodo, ut paucis diebus plus interior spiritus proficiat, quam longiore tempore et majori labore illi, qui forte per aliam incedunt viam. At mali Dæmones, qui norunt quanta sibi clades ab Exercitiis immineat, si quaqua versus expetantur et usurpentur, nihil malarum artium omittunt ut eadem destruant, extinguant et de medio penitus tollant. Sed frustra laborant, et frendentibus illis magis magisque patescit Exercitia esse opus divinum, quandoquidem per adversa et persecutiones proficiunt, et incrementa sumunt.

12. Ignatius librum Exercitiorum prius usurpari quam legi volebat. *Bartoli lib. 1. n. 18.*

Hæc Antistes ille, qui optime animadvertit utendo melius quam speculando Exercitiorum vim percipi. Ideoque sapientissimo consilio noluit S. Ignatius certis Regularibus Florentiæ, qui id summis precibus petebant, dari libellum Exercitiorum ad legendum, priusquam illum usu quodam gustassent: ut huc quoque istud referri apte possit: *gustate et videte.*

Anno 1546. Societ. 7.

13. Pistorii, Polancus Roberto Cardinali Puccio Exercitia tradit. *Orland, lib. 6. n. 12.*

Quoniam nunc Florentiæ meminimus, persequamur illa quæ, tum in Etruria, tum in reliqua Italia, succedente anno seculi illius quadragesimo sexto gesta sunt. Pistorium in Etruria, quod vigesimo milliario Florentia distat, cum venisset Polancus, Præsulem ipsum eumdemque Cardinalem

Robertum Puccium, sanctis meditationibus ut exoptabat instituit; rogantemque ut de sui muneris cura sibi aliquid ederetur, et scriptis instruxit et verbis. Itaque jam sua sponte pius Pastor incensus, acriores concepit ignes, et præter illorum temporum mores, ad prædicandum Dei verbum induxit animum, ingenti gregis commodo, secunda populi admurmuratione.

14. Domeneccus, Bononiæ, variis Exercitia dat. *Ibid. n. 15.*

Bononiæ, Salmeroni abeunti Tridentum suffectus est Domeneccus, qui mox dicere de superiore loco instituit, et mederi contritis corde, et peccata pro potestate laxare. Nec interim aut Monacharum claustris deesse, Vicario sic flagitante, aut Nobilium institutioni virorum commentationibus exhibendis. Dubium is reliquit, an maximum privatim, an publice fuerit emolumentuum. Juvenum par egregium per commentationum secessum, (quibus dictandis, semper, ut supra indicatum est, Domeneccus excelluit), sacræ Christi in Societate militiæ partum, Annibal Codrettus Gebennesis, et Benedictus Palmius Parmensis, Francisci frater. Benedictus igitur dudum adolescentulus, Parmæ, ex Fabri Lainiique institutione et usu degustata pietate, cœpit ad summum ejus decus ab sancto spiritu incitari, testante jam tum Lainio ad verbi Divini prædicationem eum vocari divinitus. Sed dum robur ætatis expectat ac Bononiæ liberalibus disciplinis excolitur, parum abfuit quin Religionis conceptæ semina, condiscipulorum, ut fit, licentia elideret, præsertim cum graves ea tempestate Bononiensem Academiam distraherent factiones. Deo autem cuncta suaviter temperante evenit, ut Benedictus ex morbo relatus in Patriam, corporis

15. Per Exercitia ad Societatem veniunt Annibal Codrettus & Benedictus Palmius. *Orland. lib. 6. n. 17.*

valetudinem brevi quidem recuperaret, sed variis conflictari angoribus mentis inciperet. Colluctabantur scilicet adversi inter se spiritus, reluctantemque adolescentem assiduis morsibus vellicabant. Quibus super angustiis cum Baptistam Pezzanum gravem ac sapientem Sacerdotem ex primis illis Fabri Lainiique Discipulis, qui et ipse tandem Societatem inivit, consuluisset, is cruciatus causam aperuit, quod cœlesti vocationi durus obsisteret : id quod ex Julia Zerbina virtutis opinione inclyta cum pariter audisset, pace reddita animo, Bononiam rediit. Hic vero cum se excolendum Domenecco tradidisset, ita liberali pectore superam hausit flammam ut sua sponte tria Religiosorum consueta vota conciperet. Bononia Romam profectus receptusque ab Ignatio domum, tanto sub magistro dignum præstanti indole tyrocinium posuit.

16. Oviedus, apud Franciscum Gandiæ Ducem, quatuordecim simul exercet. *Orland. lib. 6. n. 71.*

Revocat nos in Hispaniam Franciscus Borgia Gandiæ Dux, apud quem Oviedus, qui Sociis præerat, ad studium sanctæ contemplationis ex Ignatii præceptis plurimos exercebat, tantusque erat hominum ardor ut uno eodemque tempore unus ipse quatuordecim exerceret, et nemine ferente moras aut in eo quemquam sibi præferri, sæpe esset de loco et principatu contentio. Fiebantque hæc auspicio ductuque Borgiæ, cujus benignitate Collegium Gandiæ crescebat. Ad quem a B. Ignatio missus est Michael Turrianus, qui Societatis ineundæ voto jam sese obstrinxerat, quo scilicet mutuo de rebus Divinis afflatu, tantorum virorum pietas confirmaretur magis et incalesceret.

Sed de Michaele Turriano, quem pupillam oculi

17. Michael Turrianus in villam recedens, ab Ignatio Exercitiis instituitur. *Ibid. n. 73.*

sui aliquando vocavit Ignatius, quædam quæ ad rem nostram faciunt, quamvis anno secundo supra quadragesimum gesta, hoc loco omitti non possunt. Erat is Complutensis Doctor e majori Collegio, inque causa ejus Academiæ gravissima Procurator lectus et missus in Urbem, ubi B. Patris congressu aliquandiu, ne qua ex illius veteribus per Hispaniam calumniis labes sibi aspergeretur, abstinuit. Sed ubi primum Nicodemi ritu clanculum virum Dei convenit, vix dena is verba protulerat, cum ei penitus Doctor sese permisit. Ad Exercitationes spiritus, ipso instituente Ignatio, secedit in Villam : ubi cum ad deliberationem de genere vitæ legendo venisset, noluit quidquam per sese transigere, id solum figit : sibi id unum sequendum quod videretur Ignatio. Qui cum super ea re hostia sacrosancta ter oblata, videri sibi optimum referret ut lucris animarum Societatique se dederet, ac rationes præterea consilii hujus vellet adjungere, vetuit Doctor verbum addere. Nam si rationibus, inquit, finienda res esset, fortasse mihi non deessent, quibus diluerem tuas. Sed mihi abunde est ita tibi videri. Ex quo tempore animo se tamquam unum de Societate gerens, addito ejus ineundæ voto, jussus est a B. Patre differre tantisper ingressum, dum, Academiæ causa confecta, reversus Complutum, rerum ab se gestarum rationem redderet. Hujus rei gratia hoc anno, ut diximus, ex Urbe recedens, inter cætera ab Ignatio in mandatis habuit ut Gandiam ad salutandum Ducem accederet.

Ipsius de statu vitæ eligendo decretum.

Societatem vovet.

18. Franciscus Dux statuit libri Exerci-

Ipse vero Dux Ignatii libellum, qui contemplandi præcepta virtutesque complectitur, avide univer-

sum exhausit, et ad multos dies haud oscitanter adhibitum atque perlectum ita suspexit, ut quo tutius degustaretur ab aliis nec quemquam rei novitas deterreret, contendendum a Pontifice Maximo existimaret, sua ut auctoritate judicioque tam salutari suffragaretur opusculo. Itaque facta ab Ignatio potestate, id ipse supplices per Internuncios ac literas a Pontifice postulavit, ejusque postulationi Pontifex altero post anno adeo prolixe ac liberaliter annuit ut in Apostolicis literis, quibus has institutiones Ignatii suo patrocinio et auctoritate communit, non modo eas approbet atque collaudet (ut suo loco reddetur), verum etiam singulos utriusque sexus hortetur ut iis sese excoli et pie uti velint. Ab eodemque Dux Borgia impetravit, ut quisquis iis uteretur et inter eas esset exercitationes universæ vitæ peccata confessus, is pro Apostolica mansuetudine cunctis noxis eximeretur. Demum Franciscus Dux Societatem Jesu eamque ex omnibus disciplinam quam sectaretur arripuit, unde et cœlestem hauserat contemplandi rationem.

tiorum approbationem a Pontifice petere. *Orland. ibid. n. 75.*

Et Societatem eligit, a qua contemplandi modum didicerat.

Conimbricæ interea, geminum Rex Cœnobium, Pontifice annuente, Collegio nostro decrevit, alterum e Benedictina, cui a Sancto Felice nomen est ; alterum ex Augustiniana familia, quod appellant S. Joannis de longa valle. Pauci qui supererant ex solitariis illis Monachis, cum susceptæ vitæ Ducibus pedagogisque carerent, spiritualibus exercitationibus expoliti ad normam veteris disciplinæ, mores suos fingere atque instaurare cœperunt.

19. Conimbricæ, Monachi per Exercitia ad veterem disciplinam reducuntur. *Ibid. n. 89.*

Nec intra Europam stetit Exercitiorum fructus.

20. In Indiis, Cosmus Turrianus per Exercitia Societatem ingreditur, & Japoniam excolit. *Orland. lib. 6 n.. 104.*

Cum Xaverius esset in Amboino, inter Castellanos erat Sacerdos ad eam diem per Oceani blanda discrimina secutus multo inferiora tot ærumnis et mortibus præmia, Cosmus Turrianus nomine. Qui ex ipso Xaverii aspectu eam pectore concepit flammam ut animo sese toto ad mansura æternaque animarum lucra transtulerit. Et quamquam consilium in præsens omne reticuit, tamen mox ubi pervenit in Indiam, et ab Antistite, quam habuerat Indiæ petendæ causam, facultatem munera obeundi Sacerdotalia impetravit, aliquanto spatio Goanarum una Parœciarum administrata, per Exercitiorum Spiritualium tandem suprema adminicula abstractus a Sæculo ad Societatem accessit, Japonicæ olim Ecclesiæ, secundum Xaverium primus Pater et Pastor futurus.

Anno 1547. Societ. 8.

Redeamus in Europam et recenseamus Exercitiorum lucra sequenti anno quadragesimo septimo ejus Seculi collecta. Ignatius Romæ usu constanti roborabat morem illum, quo Tirones nostri inter cetera virtutis experimenta menstrui spatii solitudinem in contemplationis divinæ recessu jubentur transigere.

21. Ignatius confirmat usum menstruorum Exercitiorum in Tironibus. *Orland. lib. 7. n. 2.*

22. Messanæ, Domeneccus per Exercitia pluribus prodest. *Ibid. n. 21.*

Hieronymus Domeneccus, qui in Sicilia versabatur, Messanæ, per Sacerdotem externum piis jam meditationibus institutum, compluribus prospexit; et earumdem ipse præsidio magnas in animis commutationes fecit. Fuit in iis Baronis filius quem cum frangere atque edomare severitas paterna non posset, tres in triremi menses inter mancipiorum quisquilias fœcemque continuit. Hic ut in Domenecci manus incidit, paucorum diedierum secessu exercitationeque precandi fero-

23. Baronis Filium, cujus ferociam ne triremes quidem domare poterant, per Exercitia mansuetum reddit. *Ibidem.*

ciam posuit; et suis mox redditus mansuetus ut agnus, fidem parentibus fecit quanto sit ad frenandam liberorum insolentiam orationis exercitatio præstantior, quam aut servitus ignominiosa triremis aut dedecora et probra virgarum.

24. Paschasius in Monte Politiano exercet tres Cardinalis Sancticrucii sorores, & fratrem cum suâ conjuge. *Orland. lib. 7. n. 25.*

Paschasius Bononiæ, dum animi viribus, non corporis, se metitur, ex assiduitate laborum ita caput obtudit, ut de Sancticrucii Cardinalis sententia, cui a confessionibus erat, balnea ei fuerint Politiani Montis periclitanda; ubi multa quoque, quoad per valetudinem licuit, ex instituto gessit. Inter alia plurimis, et in his Cardinalis germano fratri piæque conjugi, meditandi et contemplandi vias aperuit, et inter eam exercitationem de universæ vitæ peccatis eos rite audiit. Eadem in ipsa urbe gessit uberius, ubi ad orandi præcepta tres Sancticrucii sorores exercuit. Postea, Bononiam reversus, renovatis in integrum viribus, renovare curarum simul impetus cœpit: totumque ibi annum in suis tractandis armis telisque consumpsit.

25. Nobiles Perusini meditando exerciti propendent in Collegium. *Orland. lib. 7. n. 28.*

Postquam Jacobus Lainius Perussi egregiam operam posuisset, Florentiam, sicut addixerat, rediit. Actæ vero ab Episcopo tunc Mediolani versante binas per literas gratiæ, alteras ad Ignatium cum commendatione Lainii, alteras ad ipsum Lainium, sane quam afficiosa, et ingens ejus significata propensio ad perpetuum aliquod Nostris opus Perusina in Urbe fundandum, quo et viri Nobiles, quos orandi meditantique præceptis imbuerat, et ipsa Civitas propendebat. Sane, qui legerit hanc historiam, facile perspiciet quantum ponderis et momenti Exercitationes nostræ attulerint ad Societatem quaqua versus propagandam.

26. Andreas Frusius Florentiæ & in Monte Politiano multis dat Exercitia. *Ibid. n. 30.*

Florentia a Lainio Andreas Frusius, qui ibidem exercendis in orationis pietate compluribus vacabat, in Montem Politianum missus est: ubi haud minore cura quam Florentiæ, præter solitas conciones aliaque Societatis munia, tradebat multis orandi vias ex Ignatii libello.

27. Idem a nostris fit Patavii. *Ibid. n. 37.*

Patavii, in jam inchoato Collegio quatuordecim agebant, qui cum ex Academicis auditoribus, tum cetera ex Urbe complures, modo orationis ardore, modo cœlestium contemplatione rerum, ad optima quæque pellebant. Hæc in Italia.

28. Coloniæ & Lovanii, per Exercitia Socii augentur, aliique fiunt Religiosi. *Ibid. n. 40. 42.*

Coloniæ Exercitiorum beneficio Societas numero Sodalium augebatur. Lovanii item plures ad nos accesserunt, quibus Rectoris loco, dum nutus expectatur Ignatii, communi quadam omnium consensione, præerat Cornelius Vishavæus. Is totas in repurgandis et instituendis ad orandi rationem animis versabatur: ejusque opera bene multi Religionum petebant claustra; quod cum invidiam Cornelio conflaret, evocan lus una cum Antonio Vinchio ad Urbem fuit.

29. Compluti, Joannes Alvarius per Exercitia fit Societatis. *Orland. lib. 7. n. 46.*

Cœperat in Hispania Societas Sedes habere quinque: Villanova autem Compluti, orandi contemplandique præsidiis, mentes hominum incendebat. Hujus ex disciplina Joannes Alvarius prodiit, qui primas inter Philosophos obtinebat, et multos annos in Theologiæ Studio consumpserat, vir singulari modestia, et in domando animo in primis acer, idemque cum multis aliis rebus a Deo ornatus, tum ardore et contentione dicendi.

30. Alfonsus Velascha post Exercitia Societatem petit, sed postea factus est

Idem Villanova, cum esset ceterorum moderator et Dux, Philosophiæ Studium inchoavit, et quidquid otii vel a domestica procuratione supererat,

id totum aut in familiares piosque sermones, aut in exercendos ad orationem quam plurimos conferebat. Gravibus quippe viris ex ipsa Academia, iisque sane multis exercendi sui ratio demonstrata est, quorum etiam aliqui Societatis ineundæ consilium susceperunt, ut Doctor Alfonsus Velascha, Villanovæ Magister, qui tum publice Philosophiam tradebat : cujus quamquam fuerit flagrantissima postulatio nec justis audita de causis, tamen in omni hominum vita talia edidit sui documenta progressus, ut Toletanus Canonicus primum, deinde etiam Osmensis Episcopus, ad extremum Compostellanus Archi-Episcopus sit creatus.

Episcopus, & Archi-Episcopus.
Ibidem. n. 47.

Felicior Petrus Tablares, grandior jam ætate Sacerdos, et homo peracutus ac lepidus naturaque adeo facundus aliisque præditus ornamentis, ut apud Proceres, ac Dynastas magnam sibi autoritatem, et gratiam conciliaret. Is inter Societatis Exercitia, cum ad eligendum vitæ genus de more ventum esset, sordium et paupertatis impatiens, in quas ultro se conjecerat (erant enim a suis moribus consuetudineque penitus abhorrentes) exarsit iracundia, et stomacho in Villanovam et ministrantem fratrem, et impetu quodam animi incitabatur identidem ut impacto Villanovæ colapho terga verteret. Jamque id Satana instigante decreverat, cum Deus, qui mentes hominum ad ea sæpe tenenda, et persequenda convertit, quæ nimis illi caute et studiose declinant, ejus repente animum ita perculit atque permiscuit, ut colliquefactus in lacrymas amare cœperit quod abhorrebat ; et in animum plane induxerit, rebus humanis pro nihilo habitis, ad eos sese ipsos adjungere, quorum

31.
Petrus Tablares, in Exercitiis deliberans de statu vitæ, parabat, Villanovæ colapho inflicto, fugere.
Orland. lib. 7. n. 50.

Superatâ illâ tentatione ad Societatem venit.

paupertatem stomachabatur et sordes. Nec dubitavit revisenti se Villanovæ cogitata pectoris aperire eique supplex esse, ut de animo, quem in eum gessisset, sibi veniam daret. Is postea ad Societatem adjunctus, multis ei in rebus iisque sane gravibus usui fuit, ut is qui et apud viros principes (uti diximus) auctoritate præstabat et comitate morum capiebat universos : nec apud eos qui accederent ad enuntianda peccata virium minus habebat, quos ad acrem suorum scelerum detestationem et peracerbas lacrymas adducebat.

32. Villanova, Joannem Rinconem Toleto missum, ut exploraret Societatem, Exercitiis Compluti instruit. *Orland. lib. 7. n. 51.*

Tam copiosis Exercitiorum fructibus Satanas invidebat, et adversari tantæ fœcunditati suis, ut solet, artibus conabatur : sed frustra. Erat Toleti Doctorum par nobile, Peralta et Montalbanus, et ille etiam Canonicus, et ambo Societati nostræ, cujus et primos Patres Lutetiæ jam noverant, in primis dediti. Qui cum et Evangelii præcones eximii et Dei famuli præstantes essent, vehementer optabant ut Societas, quæ in Italia et Gallia tam frugifera hominum sermonibus ferebatur, et in Hispania talis esse jam cœperat, eadem in suos populares ac cives partem aliquam tam fructuosi laboris, atque operæ derivaret. Ea de causa prædicare laudes ejus et instituta eamque etiam atque etiam populo notam facere non desistebant. Qua prædicatione permoti Sacerdotes alii sex, virtute ac literis probe instructi, avidis eam animis expectabant : ut, si res famæ atque expectationi hominum responderent, ejus instituta sine dubitatione capesserent. Verum cum Toletum nemo se de Societate conferret, mittendum sibi ipsi de suo numero Joannem quemdam Rinconem,

qui ejus de moribus institutisque cognosceret, Complutum putarunt. Hic ut eo pervenit, congredi quamprimum cum Villanova cœpit et usu arctiore conjungi. Deinde ad exercendam sanctis meditationibus pectus eodem auctore se contulit: qua in exercitatione eo usque profecit ut jam ad instituendos in eo ipso alios satis idoneus videri posset. Toletum igitur ab hac exercitatione reversus, Collegis suis quæ gesserat videratque narravit, tanta Societatis, et exercitationum quas illa ad excitandam in humanis pectoribus religionem adhibere consuesset, prædicatione ac laude, ut illi ab eo summe contenderent ne gravaretur ea ipsa orandi præcepta quæ a Patribus accepisset sibi etiam pro facultate suggerere. Nec id Rincon, qui ea magna ex parte sibi descripserat, recusavit: et quoad usu aliquo valuit, studuit eos ad Exercitiorum normam regulamque dirigere. Res latere non potuit nec in occulto esse quin ad aures Antistitis Toletani Joannis Martini Silicæi perveniret, calumnia, ut solet, adjecta, quod vulgo dicerent: Sacerdotes illos velut ambitiosos Apostolorum æmulos, ut Spiritum sanctum devocarent, e Cœlo affectasse illum recessum. Quocirca visa est res digna quæ veniret in examen: datusque in eam diligens et clandestinus est cognitor, unus ex administris et Consiliariis Antistitis. Qui, cum eorum Sacerdotum mores solerter exquirit et a notis familiaribus de cujusque vita accurate cognoscit, tam multa in eorum laudem tamque præclara ab unoquoque suis auribus audivit, ut tum demum senserit quam contemnendi sint vulgi rumores quamque ab hominum opinione res ipsa

Rincon, Toletum reversus, Sacerdotes a quibus missus fuerat, etiam exercet. *Ibidem.*

Hinc calumniæ delatæ ad Antistitem, qui jubet inquiri. *Ibid.*

distaret. Itaque ut eam comperit, sic ad concilium retulit, magna et Exercitiorum et eorum qui ea usurpaverant Sacerdotum commendatione ac laude. Quos cum unum in locum sex omnes Præsidens convocasset (is erat Jacobus Martinus Silicæus, sobrinus Antistitis) collaudatis admodum Exercitationibus illis, rem dixit optimam et salutarem esse: ceterum eas communicari cum aliis, et pervulgari vetuit. Quem prudens subinde Consiliarius excipiens: si res, inquit, optima et salutaris est, supprimenda certe non est, sed divulganda potius. Atque huic ad omnibus est assensum, et tum demum in Concilio ita decretum, ut piæ illæ exercitationes et earum usus in potestate cujusque relinquerentur: qui quidem usus plurimo Toletanæ Civitatis bono deinceps viguit.

Inquisitio cum laude Exercitiorum finitur. *Ibid.*

33. Borgia cogitur à Principe Exercitia interrumpere. *Orland. lib. 7. n. 53.*

Vacabat per id tempus cœlesti illi contemplationi Dux Borgia, sed intermittere eam debuit Philippi Principis jussu evocatus ad Conventum Aragonensem, qui Monzone in Oppido habebatur.

34. Valentiæ, Doctor quidam post exercitia ad Societatem venit, dein ab Ignatio dimissus. *Ibid. n. 61.*

Valentiæ etiam Miro informabat homines ad orationem usitato secessu: ex eoque numero Theologiæ Doctor, et Dei Verbi prædicator eximius sese ad nostros adjunxerat: sed quoniam teneriore, ac molliore in suos animo videbatur, nec satis tanti beneficii vim magintudinemque perpendere, consultus Ignatius non dubitavit in tanta operarum penuria, vel ornatissimum virum de suo cœtu dimittere.

35. In Urbe Portus, civis Henricus Govea a Strada olim exercitus, Familiam suam quasi domum oratio-

In Lusitania, in Urbe Portus, civis erat Henricus Govea, qui olim a Francisco Strada solemni meditatione exercitus, tanta est a Deo luce perfusus ut vel in illo suæ vitæ genere, quoad ejus fieri posset,

Apostolicos imitari labores et vitam vellet: et quo posset Deo et proximis vacare liberius, domesticis negotiis fidelem famulum præfecit, domumque suam domum facit orationis, distributis ita diurnis spatiis atque temporibus ut sua orando Deo, sua perscrutando pectori dici pars dicaretur. Familia ejus paucis diebus in Religiosorum est versa Cœnobium: ut non mireris tres ejus liberos in Societatem se recepisse, cum vel ipsi famuli, servique, ubi ubi essent, nihil nisi de Deo agere ac loqui possent. Denique noster Henricus lucrandis Christo animis se totum dabat, et quos lucratus erat studiose fovendis. Hos in usurpandis crebro mysteriis firmabat ad constantiam, illos orandi præceptis, quos ad ea capienda ingenium ac natura genuerat, imbuebat. Neque unius Civitatis Oppidique bono contentus, industriam ac solicitudinem suam ad Villas et loca finitima derivabat.

nis facit, tres filios Societati donat.
Orland. lib. 7. n. 68.

36.
Ipse Henricus civis aliis quoque Exercitia tradit.
Ibid.

Hac tanta animorum procuratione atque solertia Ignatium Azebedium, Christi postea Martyrem, Deo peperit, quem cum audisset rerum humanarum satietate teneri (ejus quippe cor jam tetigerat Deus) viginti ferme millia passuum convenit hominem eumque inconsum sermonibus suis tandem perpulit ut Conimbricam ad exercendum spiritum se colligeret, unde omnis ejus salus et sanctitas non vulgaris consecuta est. Res ipsa loquitur, neque opus est eum qui hæc legit identidem monere, ut animum advertat, quam late et in quam multos, etiam Civis unius opera, cœlestis ille Exercitiorum Spiritus se diffundat.

37.
Idem Henricus per Exercitia Societati peperit Ignatium Azebedium, postea Martyrem.
Ibidem.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Fundatoris

SOCIETATIS JESU

Liber Sextus.

Anno 1548. Societ. 9.

Hactenus Exercitia nostra, ut vidimus, amplissimos ubique peperere fructus, sed fere inter adversa, et pugnas prope perpetuas, quas in Hispania, Gallia, Italia Satanas suscitabat : ita ut quocumque arma hæc Spiritualia circumferrentur, eo pari quasi passu orcus sua quoque moveret arma. Verum illuxit tandem faustissimus seculi illius annus octavus supra quadragesimum, quo de tartareo illo hoste Ignatius Romæ triumphavit. Nam, quod inter prima votorum habebat, postulatu Francisci Borgiæ Gandiæ Ducis, ex Romano Pontifice est consecutus ut Exercitiorum libellum Auctoritas Apostolica comprobaret ; destinatis censoribus viris gravissimis, Joanni Alvaro de Toleto Cardinali Burgensi, Ordinis Prædicatorum,

Liber Exercitiorum Sancti Ignatii à Sede Apostolica approbatur. *Orland. lib. 8. n. 1.*

Philippo Archinto Pontificis in Urbe Vicario ; atque Ægidio Foscarario Sacri Palatii Magistro ex eodem sanctissimo et sapientissimo Prædicatorum cœtu, dupliciter ex Hispanico idiomate latine conversus liber inspiciendus est traditus : qui utrumque exemplar ne vocula quidem mutata maxime commendarunt. Tum comprobatio et commendatio amplissima Apostolicæ Sedis accessit, in hæc verba :

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii cura in universum Christi gregem nobis commissa et divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea quæ salutem animarum et Spiritualem earum profectum juvant amplectentes, vota eorum, qui aliquid quod fovere et nutrire pietatem in Christi fidelibus valent, a nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum ergo (sicut dilectus filius, nobilis vir Franciscus de Borgia Dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit) Dilectus filius Ignatius de Loyola, Præpositus Generalis Societatis Jesu, per nos in alma Urbe nostra erectæ, et per nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam documenta sive Exercitia Spiritualia, ex Sacris Scripturis, et vitæ spiritualis experimentis elicita composuerit et in ordinem ad pie movendos fidelium animos aptissimum redegerit, illaque Christi fidelibus ad spiritualem consolationem et profectum magnopere utilia et salubria esse, non solum fama ex plurimis locis allata prædictus Franciscus Dux didicerit, sed etiam experimento manifesto,

cum Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit. Quare idem Franciscus Dux Nobis humiliter supplicari fecit ut documenta et Spiritualia Exercitia prædicta, quo latius eorum fructus pateat et plures Christi fideles majori cum devotione ad utendum illis inviteutur examinari facere : et, si approbatione et laude digna inveniremus, approbare et laudare aliasque in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui documenta et Exercitia hujusmodi examinari fecimus, et quæ testimonio ac relatione dilecti filii nostri Joannis Tituli S. Clementis,presbyteri Cardinalis Burgensis Episcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoris, et Venerabilis fratris nostri Philippi Saluciarum Episcopi, ac dicta Urbis nostræ in Spiritualibus Vicarii Generalis, necnon dilecti filii Ægidii Foscararii, nostri Sacri Palatii Magistri, nobis desuper facta, pietate ac Sanctitate plena et ad ædificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus : debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius et ab ipso instituta Societas præfata in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant, et ad maximum adjumentum quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immerito habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, documenta et Exercitia prædicta, tenore præsentium, ex certa scientia approbamus, collaudamus ac præsentis scripti patrocinio communimus : hortantes plurimum in Domino omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et Exercitiis uti et illis instrui devote velint. Necnon

concedentes ut hujusmodi documenta et Spiritualia Exercitia imprimi a quocumque Bibliopola per prædictum Ignatium eligendo, libere et licite valeant. Ita tamen ut, post primam editionem, sine consensu ejusdem Ignatii vel Successorum ejus, nec ab hoc nec ab alio omnino, sub excommunicationis et quinquaginta ducatorum piis operibus applicandorum pœna, imprimi possint. Ac mandantes nihilominus universi... etc. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die ultimo Julii 1548, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Blo. El. Fulginensis.

2. Exercitia sunt primus liber a Societate impressus. *Ibid. n. 2.*

Secundum hanc Pontificis auctoritatem cum esset libellus typis mandandus, ea versio quam ediderat Andreas Frusius, non tam verba verbis, ut altera, sed fideliter sententiam reddens, usui aptior ac prælo dignior visa est. Isque primus faustissimo sane initio Societatis impressus est liber: qui tanta munitus Pontificis approbatione et laude nullos deinceps Satanæ impetus reformidans, per universum Orbem in lucem publicam tuto prodire jam poterat.

3. Fœminarum Mònasteria in Sicilia reformantur per Exercitia. *Ibid. n. 16.*

In Sicilia hoc anno varia fœminarum Collegia adhibitis hisce orationis Exercitiis ad pietatem incensa sunt: multisque locis, Agrigenti Panormique præsertim, earum fluxi mores coerciti.

4. Natalis petentibus societatem cum delectu Exercitia dat. *Ibid. n. 17.*

E Gymnasio autem nostro Mamertino complures studium Societatis accenderat. Sed prudentissime fecit Natalis, qui cæteris præerat, ut et lectissimo cuique propositis ad orandum communibus locis, exquisitum haberet in communicanda Societate

delectum, et ad eam ineundam nemo verbo consilioque excitaretur a Nostris.

5. Salmeron Bononiæ primarios Exercitiis instruit. *Ibid. n. 14.*

Ineunte hoc eodem anno Salmeron, cum Bononiæ Concilii causa versaretur (nondum enim solutum id erat, tametsi nihil gravioris in eo momenti jam gerebatur), nullum prætermittebat de proximis bene merendi munus, ac præter statas Quadragesimæ stationes, ad S. Luciæ, viros etiam primarios ex Ignatii præceptis ad orationem informabat, et Nobilium confessionibus operam dabat.

6. Paschasius viros fœminasque exercet cum ingenti fructu. *Ibid. n. 25.*

Quo in utroque munere latius adhuc patebat Paschasii labor, qui viros fœminasque complures, in iisque Matronas amplius triginta in imperatis orandi meditandique locis acriter exercebat. Quanto cum fructu testata est, cum fœminarum egregia mutatio, quæ spretis Satanæ pompis Christo vacare piis in precibus et sublevandis pauperibus didicerunt, tum eorum qui, ne quid amplius cum seculo haberent, salutari repente fuga, partim se ad Societatem nostram, partim ad alia transtulere Cœnobia. Præ cæteris autem Paschasii fructibus Parochorum fuit ad meliorem frugem Sacerdotumque reversio. Erant enim tanta intemperantia nonnulli, cum honoris Sacerdotalis obliti, tum muneris quod gerebant, ut lupas secum et scorta ducerent; sed pia orandi consuetudine mox putridæ carnis scabie atque dulcedine cum suavitate Domini commutata, facili negotio disjungerentur.

Pars ad Societatem, pars ad alia Monasteria transibat.

7. Per Exercitia Parochorum scandala tolluntur.

8. Sylvester Landinus, Fulgini, per Exercitia mores corrigit. *Ibid. n. 31.*

Sylvester Landinus, Fulginum Episcopo flagitante missus, varias et illic animorum commutationes fecit. Per Exercitia B. P. Ignatii adhibebatur vitiis robustissima temperatio, et in peccatis ob-

firmata mens hominum ad Pœnitentiæ et Confessionis lacrymas flectebatur.

9. Joannes Philippus, socius Lainii, necdum Sacerdos, Neapoli Exercitia tradit. *Ibid. n. 32.*

Lainius Siciliam profecturus, cum in Adventus Dominici ferias ejus iter incideret, Neapoli ipse quod reliquum erat anni concionando consumpsit. Comes ejus Joannes Philippus, nondum Sacerdos, adjumento illi erat et in Exercitiorum tradenda notitia et in Christianæ explicatione doctrinæ : quarum rerum usus late admodum patere in ea Urbe cœpit.

10. Joannes Baptista Viola, Parisiis, per Exercitia Societati adjungit Everardum Mercurianum, postea Generalem. *Orland. lib. 8. n. 41.*

Dum hæc in Italia gerebantur, in Gallia, Lutetiæ, Joannes Baptista Viola cæteris praerat. Hic una cum Sociis doctrinarum studiis operam dabat ; interimque nonnulos Academicos, qui videbantur vineæ Domini profuturi, Sacramentorum ministerio sanctisque meditationibus exercebat. E præcipuis autem in eo genere lucris Everardus scilicet Mercurianus fuit, is qui postea universae Societati præfuit. Qui cum in exercendo de more spiritu plurimum profecisset, suis in Belgio rebus ante compositis, Lutetiamque deinde reversus, Natali Deiparæ die, jam Philosophus Theologusque, nuperque Sacerdos creatus, Societati se dedit. In ea brevi non vulgarem in hominum pertractandis ac juvandis ingeniis apud omnes adeptus est laudem.

Eodem anno quo Romæ debellatum videri poterat, et triumphus quodammodo agebatur de subactis hostibus Exercitiorum horum Spiritualium, parabantur iterum bella contra eadem Exercitia in Hispaniis, et quidem ab uno ex inclyta illa S. Dominici sobole, ex qua, ut vidimus, duo viri præstantissimi, Joannes Alvarez de Toleto Cardinalis Burgensis, atque Ægidius Foscararius Sacri

11. Melchior Canus Societati & Exercitiis infensus, Salmanticæ. *Orland. lib. 8. n. 46.*

Palatii Magister, de iisdem Exercitiis apud Pontificem præclarum sane dedere testimonium. Salmanticæ videlicet, ex illo sanctitate sapientiaque et ornamentis omnibus spectabili ordine, Melchior Canus hujus concitator procellæ fuit. Multa is in recens natam familiam nostram jactabat, nos esse Antichristi prænuncios multis nitebatur suadere. Exercitiis vero nostris Spiritualibus nominatim infensus erat. Quia enim ea, ut legantur, passim vulgari non expedit, eo quod non legendo, sed meditando, eorum utilitas percipi debeat, hanc non vulgandi curam detorquebat in argumentum pravæ doctrinæ lucemque reformidantis libelli. Quasi vero perspicacissimorum Judicum oculos in Hispania, Gallia, Italia, atque adeo ipsam veritatis lucem, quam Christus suis in terra Vicariis communicat, sponte sua liber ipse non subiisset.

12. Compluti quoque similis oritur tempestas. *Ibid. n. 55.*

Sane quam non reformidet lucem, Villanova noster eodem tempore luculenter ostendit. Cum enim Compluti quoque tempestas similis contra Societatem sæviret, postquam Villanova Rectori Acædemiæ de Societatis moribus institutisque quærenti satisfecisset, ad extremum ipsemet precibus a Rectore contendit, ut adhibitis in consultationem Theologis, ex ipsis etiam æmulis invidisque causas ex citati rumoris summa severitate perquireret. Probatum est Rectori consilium, et res tribus commissa Doctoribus inter æmulos facile primis. Hos Villanova convenit, et ad eorum interrogata omnia quæstionesque seu de libello Exercitiorum (de quo multa jam animo falsa conceperant) seu de Institutis moribusque nostrorum ita respondit, ut eos pigeret facti, tæderet sus-

Villanova curat per Rectorem Academiæ omnia examinari.

ceptæ mentis. Inter adversarios autem, et qui a nostris abhorrebant, Casa quidam e Collegii Doctoribus, non magnæ ille quidem auctoritatis, sed robustæ in primis audaciæ, multa in ipsas quoque literas Apostolicas, quibus et Societatis Instituta, et B. N. Patris Exercitia Spiritualia probantur, effuderat : eo usque, ut Apostolico diplomate, quo Casa citabatur ad Urbem, fuerit occurrendum. Sed homo lenissimus Villanova, hoc accepto diplomate, ne quod religiosa lenitate posset id tentaret judicio, haud utendum continuo putavit : sed per Joannem Costam (Doctorem eximium, et qui primas tum Cathedras obtinebat, dein Legionensem rexit Ecclesiam), si forte rediret ad officium, Judiciorum metu simul incusso, accepti significatione diplomatis, admonendum potius hominem putavit. Cessit ex sententia pii pariter ac prudentis viri consilium. Casa quippe diplomatis Apostolici certior factus Romanæque Curiæ judicium reformidans, quamquam Societatem numquam penitus amavit, ita se tamen in præsens dedit in alteram partem, ut, ex maledico mordacique, nostrarum repente laudum fieret prædicator.

Unus qui etiam approbationem Pontificiam Exercitiorum sigillaverat, audiens diploma citationis Roma allatum, continuit se.
Ibidem.

13.
Episcopus Carthaginiensis exercetur cum quodam Canonico.
Orland. lib. 8. n. 62.

Gandiam id temporis Ducis visendi gratia Stephanus Almeida Carthaginensis Episcopus accesserat. Is de consilio ejusdem Ducis, ad exercendam divinis contemplationibus mentem adjecit animum. Versabatur tum Gandiæ Oviedus noster. Hoc itaque adhibito Episcopus Murciam iter instituit ; quo in itinere, locis quibusdam suæ Diœcesis inspectis, Murciæ demum in Exercitia illa se abdidit. Instituebatur ab Oviedo una cum Canonico quodam principis Ædis Ecclesiaste tanto cum fructu,

nihil ut aliud tractare animo videretur, nisi quemadmodum Deo se probaret, et creditum sibi gregem pro ejus voluntate foveret. Cujus rei gratia venit in mentem poscere aliqua de Societate subsidia : datisque ad Borgiam literis, de instituendo Murciæ Collegio tum primum agi cœptum.

Hinc orta cogitatio de Murciensi Collegio. *Ibid. n. 63.*

14. Auxit autem vehementer Exercitiorum studium conversus nuper latine eorum liber, ut supra demonstravimus, et Romæ typis, Borgiæ sumptu, impressus, una cum illustri, in ipso libri vestibulo Pontificis Maximi testimonio. Is Gandiam allatus tantis illico exceptus est plausibus, ut inde in posterum quotidie Nostri antelucanæ contemplationis locos et argumenta desumerent : eumque morem una cum Amita imitatus est Borgia, et inflammata ceterorum pietas, ne ad ea præcepta dubitarent institui.

Ex libro impresso Exercitiorum, Nostri, Gandiæ, quotidianam meditationem sumunt. *Ibidem.*

Idem facit Borgia & ejus Amita.

15. In Indiam decem hoc anno de Societate e Lusitania, gemino vecti navigio, solverunt. Gaspar Barzæus Olyssipone navem Joannis Mendozæ conscendit 16. Kal. Aprilis, cum Sociorum parte dimidia, quibus præerat Melchior Consalvius. In illa navigatione Gaspar præclara dedit charitatis et pietatis exempla. Cum autem aliquando Gaspar statim e suggestu descenderet ad ægrotos, tanti exempli admiratione permotus Mendoza Præfectus, seduxit hominem in cubiculum, eique moderandi regendique animi sui potestatem omnem tradidit. Ab eo igitur piis privatim exercitationibus expolitus, ultro deinde cum aliis opportuna de Deo divinisque rebus habere colloquia, suos primum familiares edocuit; tum ceteros in officio continere, egenos et imbecilles quotidianis sus-

In itinere Indico Mendoza Præfectus à Barzæo exercetur cum fructu aliorum. *Orland. lib. 8. n. 100.*

tentare subsidiis, expiare denique frequenti confessione peccata. Nimirum semel degustati Exercitationum illarum saluberrimi fructus, non in uno illo qui excolitur solent hærere ; sed quæ optimarum et eximiarum rerum natura est, mox sese in plures late diffundunt.

Anno 1549. Societ. 10.

Inter hæc exortus est annus ejusdem Seculi nonus et quadragesimus, quo in Italia, et Romæ imprimis, unde Ignatius reliquam Societatem moderabatur, Exercitiorum Spiritualium mos increbrescebat in dies, et ea erat quasi quædam Societatis sementis, adeo homines, qui vacuo animo ea capesserent, immutabant. In iis Jo. Alphonsus Victoria natione Hispanus, Societate nondum inita, ab Exercitiorum recessu digressus, ad reportandam obtinendamque de seipso victoriam sic exarsit, ut in ipsis Bacchanalibus, cum personati homines vanis spectaculis implent omnia, aliud ipse vulgo non inane spectaculum exhibuerit. Sacco indutus et pœnitentis amictu per celeberrimas prodire vias cœpit, flagrisque in terga sævire adeo pertinaciter et inclementer ut non prius diverberandi sui finem faceret quam totus undique cruore redundans ad ædem nostram longo circuitu perveniret. Hoc primo edito tyrocinio, Societati nomen et vitam dedit.

16. Romæ, Jo. Alphonsus Victoria, post Exercitia, in Bacchanalibus dat publicum pœnitentiæ exemplum. *Orland. lib. 9. n. 10.*

Fit Socictatis.

Messanæ in Sicilia, datæ sunt etiam aures religiosis fœminis, a quibus cum rogaretur Societas ut eas ad pietatem informaret, consultus Ignatius respondit non abhorrere ab institutis nostris si earum semel confessiones exciperentur : utilius tamen fore, si spiritualibus primæ hebdomadæ Exercitiis ad rectam peccatorum confessionem

17. Messanæ, ex Ignatii consilio Religiosæ fœminæ aliæque matronæ Exercitiis primæ hebdomadæ juvantur. *Ibidem n, 15.*

erudirentur. Quod consilium secuti Patres, non modo apud Sacras Virgines, verum etiam nobiles modo apud Matronas, quæ iis Exercitationibus usæ sunt, plurimum in eo genere profecerunt.

18. Sylvester Landinus, in Hetruriæ finibus, per Exercitia Parochos ad zelum animarum & Societatis amorem excitat *Ibid. n. 36.*

Sylvester Landinus ad Carfagnanæ incolas in Hetruriæ fines translatus ex Umbria, Casulæ more suo impigre laborabat. Quia vero ipse unus tam copiosæ messi par non erat, Sacerdotes e circumjectis Carfagnanæ Oppidis novem, ad gratuitam et voluntariam Sacramentorum administrationem excitavit. Qui cum omnes in eam rem sese Domino consecrassent, quatuor super hæc e piæ contemplationis Exercitatione digressi, statuerunt se Ignatii disciplinæ imperioque subjicere. Quos tamen cum suæ quisque Curiæ non sine laude præesset, visum est e re divina, ab ea procuratione non amovere. Sane eos ita Sylvester instituit, vix ut Societatis Sacerdotibus in animarum causa curaque concederent. Quorum prudentia ac religione fiebat, ut dum fœneratoribus peccata retinent, nec eos optata cum absolutione dimittunt, fœnerandi consuetudo undique tolleretur.

19. Landinus Concionum materiam sumit ex hebdomadæ primæ Exercitiis. *Orland. lib. 9, n. 40 & 41.*

Landinus a concurrente ex vicinitate agrorum auditore, ter in die in suggestum aliquando compellebatur, ex quo duas ultra horas, et saepe longius dicendo progredi consueverat ut auditorum et siti satisfaceret et inscitiæ. Concionum ipsius sylvam, B. N. Patris Exercitia quæ prima continentur hebdomada, suggerebant. In his totus hærebat et habitabat : his suos ille auditores exterritos facile ad pœnitentiam revocabat. Quis vero extiterit per istas conciones animorum motus, quæ Casulæ, quæ Camporegiani, quæ Carregii consecuta morum mutatio, quomodo Hæresis re-

Inde secuti fructus omnino mirabiles.

pressa, quomodo triginta annorum inveterata odia, quinque et quadraginta patratis cædibus, eo usque roborata et exulcerata, ut omnis concordiæ spes videretur ablata, Dei tamen aspirante clementia, fuerint extincta, apud Orlandinum, qui volet, legere poterit.

20. Bononiæ Paschasius, Belluni Salmeron Exercitia multis dant. *Ibid. n. 40 & 49.*

Bononiæ tum Paschasius agebat, ubi precandi meditandique viis suo more tradendis nulli non hominum generi consulebat.

Belluni item, quæ est Venetæ ditionis Urbi antiqua, et nobilis in Carnis, Salmeron compluribus precandi vias et contemplandi dedit cum insigni varioque fructu.

21. Parisiis, Mercurianus per Exercitia alios ad Societatem disponit. *Ibid. n. 57.*

Parisiis tredecim fere de Societate degebant, Rectore Viola. Evocaverat Ignatius ex eis in Urbem quatuor, ut in Siciliam mitteret : quorum in locum totidem continuo alii successerunt, sed prius ab Everardo Mercuriano solitis meditationibus exercitati.

22. Villanova, Compluti, exercet Alphonsum Ramirum de Vergara. *Orland. lib. 9. n. 66 & 70.*

In Hispania, Complutum, ubi contra Exercitia et Societatem anno superiore nonnulli insurrexerant, venerat Alphonsus Ramirius de Vergara, vir tum literatum eruditione clarus (erat enim Doctoris titulo insignitus), tum splendore familiæ, is qui Rectoris munere in Complutensi Academia summa cum laude perfunctus, Conchensis Visitator Episcopatus et Sacræ Inquisitionis lectus est Consiliarius. Hic igitur Compluti cum ex itinere substitisset, multa de Societate quam necdum noverat audivit. Ut autem quid genus esset hominum suo usu perdisceret, agere cum Villanova cœpit: in quo cum præclara quædam divinæ gratiæ munera perspexisset, quamvis ille necdum Sacris initia-

Ramirius militariter adhæret Societati, aliis dissuadentibus.

tus, necdum Philosophiæ fines esset egressus, orsus est paulatim intimos ei sui pectoris aperire recessus: admiratusque in sese regendo viri prudentiam et scientiam plane cœlestem (apparebat enim in ejus consiliis atque præceptis pondus quoddam lumenque Divinum), exarsit acriter ad Exercitia. Callebat videlicet et jam tum exercebat Villanova artem illam excitandi in hominibus desiderium saluberrimi illius recessus, quæ postea in Directorii capite primo nostris tradita fuit. In illo igitur recessu dum Ramirius dies octo, Villanova Magistro, se continet, tanto est animi sensu vitæ universæ peccata confessus, ut mulla unquam ex confessione meminerit se hausisse majorem. Qua in Exercitatione, ut etiam in cetero vitæ cursu, Villanovæ virtutibus captus, avelli scilicet ab ejus latere Societateque non poterat: tametsi non deerant viri graves, qui tantam novis cum hominibus familiaritatem non probarent, quod dicerent in discrimen vocari nomen et famam si quid alienum a bonis moribus aliquando in novo illo hominum genere deprehensum esset. At Evangelica divinaque, quæ in Exercitiis hauritur doctrina, nutrix sinceræ in Deum charitatis, timorem illum quo angebantur qui cœlestem illam Theologiam non didicerant, ex Ramirii animo facile abigebat. Neque hic stetit fructus. Ædes, quas etiamnum Compluti incolimus, Ramirio potissimum debentur.

Ædes Compluti Societati curat.

Anno 1550. Societ. 11.

Recurrebat post hæc quinquagesimus hujus seculi annus, quo Julius III. Pontifex Maximus Societatis instituta Prædecessore suo probata, nunc paulo distinctius explicata sua denuo auctoritate

23. In approbatione Pontificia Societatis,

probavit verbisque gravissimis rata habuit, literis datis Anno Incarnationis Dominicæ MDL, duodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus ipsius anno primo. In eis inter ceteras laudes, hanc quoque tribuit Societati, quod *fideles privatim ad pias meditationes, beneque ac beate vivendum excitando.... laudabiliter in vinea Domini se exercuerant.* Et in formula Instituti quam laudat, inter illa per quæ Societas profectum animarum curare debet, recensentur diserte *Spiritualia Exercitia.* Id quod eo libentius annotamus, quia, ut loquitur Canon. 17. Congr. 5. *Substantialia nostri Instituti ea imprimis sunt quæ in formula seu Regula Societatis Julio III. Summo Pontifici proposita, et ab eo aliisque ejus Successoribus confirmata, continentur.* Ex quo conficitur quod Exercitia illa sint talis pars Instituti sine qua Societas consistere nequaquam possit. Quo sane vix aliquid illustrius ad eorumdem utilitatem, necessitatem et præstantiam demonstrandam decerni poterat.

nominatim Exercitia laudantur.
Vide literas Apostolicas, & Congreg. 5.

24.
Exercitia sunt pars substantialis Societatis.

Minime reticendum est, quod Tybure hoc anno contigit. Nam cum Gymnasium nostrum esset extra Portam Civitatis, Civitas de transferendis in interiorem Urbem scholis agere cœpit, et in ejus velut umbilico locum et Ædem obtulit. Nec minus opportuno loco, præstanti probitate fœmina Lucia Cynthia domum cum hortis attribuit. Cujus beneficentiam haud impare munere remunerata Societas est. Ejus quippe nepos, in jurgio cum cive rixatus, a Michaele Navarro foras abductus, dum turba sedatur et adversarii conticescunt, Spiritualibus Exercitiis excolitur. Qua ab Exercitatione ubi dimissus est, miraculo fuit opularibus suis ejus insignis commutatio.

25.
Tybure, per Exercitia, quidam qui rixatus fuerat, mansuescit.
Orland. l. 10. n. 76.

26. Landinus, per Sacerdotes a se exercitos, pergit pluribus prodesse. *Ibid. n. 81.*

Sylvester Landinus a Duce Ferrariæ Hercule expetitus et ab Ignatio concessus, cum unius aures sufficere confitentium turbæ non possent, pergebat ad id adhibere eos quos supra significavimus Presbyteros ab se jam doctos et piis commentationibus institutos.

27. Ægidius Foscararius, Dominicanus, qui primus Exercitia approbavit, factus Episcopus, vult Parochos ex hebdomadâ primâ concionari. *Orland. lib. 10. n. 82.*

Secundis de Sylvestro sermonibus permotus etiam Mutinensis Episcopus, ab Ignatio eumdem impetrat, et suæ omnis peragrandæ cognoscendæque Diœcesis partes imponit, inprimis autem docendi Parochos ad populum ea dicere, quæ in Exercitiorum libello B. Nostri Patris prima traduntur hebdomada. Namque Antistes erat Ægidius Foscararius e veneranda S. Dominici Familia, qui Sacri quondam Palatii Magister, eum accurate libellum, cum ad examen vocaretur, expenderat, et primus suo Chirographo verbisque gravissimis approbavit: ex eoque tempore magno illum in pretio semper habuit, et eo demum loco numeroque ut inde non orandi et commentandi modo, verum etiam utiliter disserendi et concionandi sylva facile comparetur.

28. Jaius, Augustæ, Sacerdotem opulentum per Exercitia mire immutat. *Ibid. n. 102.*

Habebatur id temporis Cæsareus Augustæ Conventus, ubi Jaius in tanta nobilium frequentia strenuam atque salutarem navabat operam gentium diversarum mortalibus. Non paucos ab Hæresum errore deduxit, in iisque adolescentes aliquot bonæ indolis ac doctrinæ, innutritos in ea fœce. Multorum præterea correxit mores, et, quod ad rem nostram præcipue facit, per Exercitia Spiritus Sacerdotem prænobilem atque opulentum (quod etiam ad exemplum magnopere valuit) penitus immutavit. Itaque submotis ille domo parum pudicis

tabulis, et quidquid hujusmodi sive sculptum, sive textum inerat venenorum, religiosa argumenta substituit. Idem, castigata conviviorum luxuria, divinis jam epulis quas fere quotidiano sacrificio libabat delectabatur. Quidquid in equorum stipatorumque sumptuosam profundebat jactantiam, in opera vertit misericordiæ. Denique ipse et pro garriendi cassa dulcedine, jam Dei Sanctorumque Doctorum congressu, quorum versabat volumina, tenebatur.

29. Parisiis, præcipue per Exercitia proximo opera navatur. *Ibid. n. 110.*

Parisiis, nondum Societas Ecclesiastem et qui ad Populum verba faceret habebat, sed tum administrandis divinis rite Mysteriis, tum piis Sermonibus conferendis, præcipue vero demonstrandis orandi meditandique viis suam Civitati operam navabat.

30. In Indiâ locus ædificatus ad quem Patres exercendi se causa divertetent. *Ibid. n. 121.*

At vero ut Exercitiorum cœlestes fructus in alios redundent, Nostros in primis eos pro seipsis colligere, et in sese illos studiose conservare necesse est. Ideoque sapientissimo consilio, Punicali in Oppido, Indicæ Comorinensis oræ, ubi Henricus Henricius, qui oram illam excolebat, plerumque habitabat, secessus ædificatus est Patribus, quo se per intervalla colligerent, et e tot peregrinationum curarumque molestiis paululum respirarent. Quamvis enim nunquam illi, aut precandi commentandique divinis de rebus, aut scrutandi sui pectoris consuetudinem intermitterent, revocare tamen ex sententia ad sese animum tot occupationum aberrationibus sæpe distractum, et secum esse cogere pro voluntate non poterant.

Anno 1551. Societ. 21.

31. Ignatius vult hebdomadam primam

Sed annus quinquagesimus primus seculi quinti supra decimum revocat nos iterum in Europam.

multis, integra Exercitia paucis dari. *Orland. l. 11. n. 13.*

Ibi Ignatius, Roma duodecim de Societate Florentiam destinavit, quibus tradidit præcepta ac monita, quæ aliis etiam tradebantur, qui novas in colonias per id tempus dimittebantur. Inter illa sic legitur : *Ad Exercitia Spiritualia hebdomadæ primæ multos, ad omnia nonnisi qui perfectionis statui videantur idonei, licebit adducere.*

32. Bononiæ, mirantur homines quod per Exercitia tanta fiat mutatio. *Ibid. n. 32.*

Bononiæ vero Societas ejusmodi salutaribus præceptis instructa, usitatis suis artibus atque præsidiis, præcipueque meditandi orandique viis a B. Ignatio traditis, eam conformationem morum in eorum quos tractabat animis efficiebat, ut toto vulgo circumsonaret hæc vox : Quid tandem agunt isti ? aut quid artis adhibent, ut, quotquot ad eos accesserit, eorum penitus versent mentes, totosque commutent ?

33. Lovanii, Ruardus Tapperus Societatem & Exercitia laudat. *Orland. lib. 11. nu. 43.*

Lovanii quoque, Ruardus Tapperus doctissimus ac gravissimus vir, dum Adriani ab Adriano solemnem Professionem excipit, ad frequentissimam multitudinem dicens, præclarum dedit de Societate testimonium eoque delapsus est, ut contestaretur se Diplomata et instituta nostra et Spiritualia Exercitia accurate perspexisse.

Non tamen ubique Societas ejusque Diplomata tam secundam tulere acclamationem, sed ex præceptione Apostoli 2. Cor. 6. Necesse fuit,nos exhibere *sicut Dei Ministros in multa patientia, in tribulationibus... per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam.* Memorabile quiddam hoc in genere dedit Hispania : et quia res omnis cum Spiritualium Exercitiorum recto aut imprudenti usu maxime conjuncta est atque adeo inde originem omnem traxit, juverit breviter, non tan-

34. Occasione Exercitiorum, oritur Toleti tempestas in Societatem. *Orland. lib. 11. n. 57. usq ; ad. 61. inclus.*

tum ejus principium, verum etiam exitum enarrare. Exarserat in Societatem acrius Joannes Silicæus, Toletanus Antistes, et iræ causa hæc fuit. Erant in ea Urbe ornatis moribus Sacerdotes, nostris jam ante meditationibus instituti, qui cum multum in pietatis curriculo processissent, ad alios similibus moribus informandos erudiendosque, studium suum, magno utique illius Civitatis commodo, contulerunt. Suis enim et exemplis et verbis incendebant omnia, et Sacramentorum avitæque religionis studia, quæ ante jacebant, iisdem adhibendis admovendisque præsidiis quibus sibi ipsi profuerant, renovarunt. Horum gloriæ Sacerdotes alii, nec moribus satis culti, nec imbuti doctrinis, cum inviderent, et celebritatem illam virorum ac fœminarum etiam expeterent ambitiosius, docere alios et ipsi, qui nullam disciplinam virtutis attigerant, temere et imprudenter aggressi sunt. Inculcabant et ipsi Mysteriorum frequentem usum, et ne in eo viderentur inferiores, facile (ut quidem rumor emanavit) concedebant iis qui sibi operam dabant ut bis in die Christi Corporis verenda Mysteria regustarent : tanta erat illorum inscitia atque vecordia. Tota autem infamia in Nostros videlicet redundabat. Nam cum eodem cultu uterentur, ac probati illi Presbyteri, quos constabat ex Spiritualium nostrorum Exercitiorum disciplina profectos, Theatinorum omnes vocabulo, quod errore vulgi præcipue Nostris erat impositum, notabantur. Hæc cum ad aures Toletani Antistitis pervenissent, acriter nimirum contra eos Sacerdotes exarsit : acerrimeque contra Societatem ut omnium caput ac Seminarium. Nec

Jubet Silicæus, Toletanus Antistes, atrox edictum contra Societatem promulgari.

defuerunt obtrectatores et invidi, qui quotidie multa in aures Præsulis contra Nostros insusurrabant. Quibus effectum est ut edicendum pro suggestis et concione curaret, anathematis præsenti pœna proposita, ne quis ex suis popularibus apud Nostros aut peccata confessione deponeret, aut alia ulla Sacramenta susciperet. Neve Parochus quispiam, aut Ecclesiæ Toletanæ sacerdotiis obnoxius, quemquam in suis templis de Societate præmitteret, vel populum pro concione docere, vel vulga Sacramenta præbere, ac ne uti quidem suo injussu ad rem divinam cultu ullo apparatuque Sacrorum; omni insuper potestate, quæ ad eam diem Societati facta esset, adempta. Quamquam autem summa amicorum contentione pugnatum est, ne locis omnibus hæc promulgarentur edicta, supprimi tamen adeo non potuerunt, quin vario hominum rumore tota divulgarentur Hispania; aliis Societatis instituta et apostolica diplomata; aliis tanti Antistitis auctoritatem et statuta defendentibus.

Nequidquam intercedit Nuncius Apostolicus.

Villanova, Rector Collegii Complutensis, quod ea tempestate in Toletana Diœcesi unicum erat, et cum ipso Araozius Provincialis, placandi Antistitis humanas omnes mollioresque vias tentarunt, adhibito etiam Poggii Cardinalis Madriti Legati patrocinio, quod magno sane studio ille suscepit; nihil tamen profecerunt. Cumque literarum Apostolicarum mentio facta esset, Præsuli vehementius commoto adversus Supremam Potestatem, verba parum considerata audita sunt excidere. Literas insuper ad Complutensem Canonicum scribit ut ædes a regione domicilii Patrum sitas ad unam

Ut male sit habitationi nostræ, jubet Compluti omnes Ædes ex adverso domus nostræ emi. *Ibidem.*

omnes sine cunctatione quoquo pretio coemat : quod non solum eo agebat consilio, quo suis ex angustiis Collegium egredi prohiberet ; sed, ut aiebat, quo iis ædibus solo æquatis, Cœnobium ibi Virginum excitaret, tanta altitudine, ut lunæ Nostris solisque prospectum penitus impediret. Emptæ sunt à Canonico ædes : nec tamen ex sententia processit Silicæo consilium. Namque eas Societas postea, Archi-Episcopo vita functo, minimo pretio sibi comparavit. Quæ nisi ab eo de multis dominis fuissent coemptæ, emi prorsus a Societate nec sine magno sumptu, nec sine magno strepitu potuissent.

Factum illud in Societatis commodum cessit.

Interea literæ de tota hac procella tantisque turbis redduntur Ignatio : qui, re cognita, hilari statim fronte explicataque dixit : quod iis literis nunciaretur, id in lætis numerandis videri, tempestatemque illam contra Societatem sine Societatis culpa Toleti coortam, significationem quamdam esse futuri in ea Urbe proventus. Rem tamen totam Ignatius Pontifici exposuit, qui ad Poggium Legatum suum literas dedit junxitque literas ad ipsum Archi-Episcopum, ut iniqua illa contra Societatem edicta quamprimum revocet : quibus munitus Poggius, quantumvis visus sit Antistes obluctari et fixus in sententia permanere, ita tamen ursit et pressit, quoad videns Antistes Legatum serio agere, maluerit videri ejus auctoritati quam potestati cessisse, contrariumque priori Decretum Societati favens dedit. Ignatius vero ipsius animum deinde humanissimis literis delinivit.

Ignatius re cognita non turbatur.

Rem Pontifici exponit, qui jubet edictum revocari.

Antistes dat favens Societati decretum. *Ibidem.*

Bracaræ in Lusitania pacatius res gerebantur.

35. In Lusitania pacatius Exercitia dantur *Ibid. n. 71.*

Consalvus Sylveria, a suggestu ad confessionalem sedem transiens, si quid inde otii supererat, tum variis animorum remediis per colloquia familiaria perque Exercitia Spiritus impendebat, tum sublevandis ægrotorum corporibus, leprosorum præcipue suscepta cura.

HISTORIA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Fundatoris

SOCIETATIS JESU

Liber septimus

Anno 1552. Societ. 13.

I.

Mors S. Xaverii, cujus res gestæ potissimum adscribendæ Exercitiis. *Orland. lib. 12. n. 1.*

Succedit annus seculi de quo agimus secundus supra quinquagesimum, quo S. Franciscus Xaverius ab Apostolicis laboribus, ad æternam Cœlestis Patriæ requiem a Deo evocatus fuit. Non est instituti nostri hoc loco elogium de tanto viro contexere. Illud unum dicimus: facile unumquemque judicaturum, tot res tam præclare et prodigiose gestas, tot millium animarum atque adeo ipsius Orientis salutem; tot virtutum decora, quibus illustravit terrarum Orbem universum, Exercitiis Parentis nostri Ignatii, e quibus tamquam ex fonte spiritus illos apostolicos olim Parisiis hauserat, potissimum adscribi debere. Extremum diem obiit in Sanciano Insula quarto nonas Decembris, discesserat autem Goa decimo octavo kalend. Maias

ipsa feria quinta majoris hebdomadæ ejusdem anni, postquam Gasparem Barzæum Goano Collegio et simul Provinciæ Indiæ universæ suo loco præfecisset.

2. Barzæus, Vicarius Xaverii, ante omnia curat Nostrorum spiritum per longam Exercitiorum formam. *Orland. lib. 12. n. 113.*

Barzæum haud ignarum eo uberiores e proximis capi fructus, quo sanctitate fuerint qui eis navant operam instructiores, simul atque Indiæ Provinciam accepit, prima subiit cura spiritum pridem conceptum in suis omnibus revocare atque magis etiam inflammare ; idque aggressus est facere per Exercitiorum formam haud vulgarem. Totis fere sex mensibus, nullis aliis voluit eos quibus præerat occupationibus esse distentos, nisi Exercitatione virtutis studioque cognoscendi se ipsos, et suis omnibus, cum voluntatibus, tum cupiditatibus repugnandi. Ad eos incitandos placuit Eucharistiæ Sacramentum in sacello domestico ad id exornato quoad potuit elegantissime collocari, quo domestici ex intervallo recurrerent et in eo dulcissime conquiescerent. Cumque a principio, spiritus exercitium ex Ignatii formula, peccatorum expiationes præteritorum mensium vel omnis ætatis, votorum instaurationem de more omnibus indixisset, hoc eis insuper et exemplo suo et cohortationibus persuasit, ut horas quotidie multas, ex capitibus quæ ipse bis proponebat, in reputanda ac recolenda Christi vita ac morte consumerent. Quo in studio, sex fere, ut dixi, mensibus jam exactis, cum satis alta humilitatis initia, cæterarumque fundamenta virtutum posita viderentur, tum demum eos ad doctrinarum studia, scholasque convertit. Redeamus in Europam.

Inter cæteros, qui se Lovanii ad Societatis oran-

di commentandique disciplinam salutariter exercuerunt, primas tulit Ludovicus Blosius, Abbas Liciensis, vir suis scriptis ac monumentis, nec minus virtutum memoriâ nobilis: cui usque adeo probata Societas est, ut nisi per Institutorum dissimilitudinem staret, affirmaret eam se cum suis omnibus initurum. Sed quando id integrum sibi non esset, perfecturum certe, ut quibus esset integrum, id illi, se suasore et autore, facerent. Neque id modo præstitit luculenter, utque in Belgium Societatis reciperetur, omni ope adnisus est, verum etiam operam dedit, ut ex sua Provincia monachi ad eamdem se orandi formam atque rationem paulisper excolerent.

3. Ludovicus Blosius, Lovanii, Exercitia peragit. *Orland. lib. 13. num. 31.*

Eamdem orandi formam suos monachos conatur docere.

Paschasius Lutetiam cum venisset, reperit latiorem exercendæ campum tolerantiæ, quam depromendæ in animis curandis industriæ. Non tamen intermisit ad S. Germani præbere aures conscientiæ onus ponentibus, et multis privatim exercendi spiritus dictata præscribere.

4. Paschasius, Parisiis, dat Exercitia. *Ibid. n. 32.*

Anno 1553. Societ. 14.

Volvebatur jam annus seculi tertius et quinquagesimus, quo ex Institutione Exercitiorum ingens ubique oriebatur fructus, præsertim in Hispania, quando iterum ejusdem exitu animi, Toletana in Urbe, lateque per Regnum gravis adversus divinum illum Exercitiorum libellum exoriri cœpit procella. Silicæi vetus offensio, tamquam male curatum ulcus, sub cicatrice vivebat. Melchior Canus, Canariensi abdicato Episcopatu, cum apud Carolum et Principem offendisset, suspicionem in Araozium Provincialem velut sibi obstantem intendit. Horum, Silicæi nimirum et Cani autoritate nixus et voluntatibus obsecundans (uti est credi-

5. Thomas Pedroccius, animatus à Silicæo Toletano Antistite & à Melchiore Cano, Exercitiis bellum indicit. *Orland. lib. 13. n. 33. usq; ad. 38. inclus.*

tum) Thomas Pedroccius bellum Exercitiis indixit. Sed multo est certius, immensos inde ubique terrarum pietatis fructus dolentem Satanam, conatum, uti semper, obruere salutare illud inventum et abolere. Ergo Pedroccius multa ex eo libello, quasi temere effutita, colligit ; alia, quæ piæ aures Catholicæque respuerent ; quædam etiam (si Deo placet) quæ perspicuam continerent hæresim, et digna essent censoria virga, et sacri animadversione judicii. Quæ omnia scripto comprehensa, Silicæo Archiepiscopo Toletano, cujus erat e familia, et Quæsitoribus tradit. Anno jam seculi hujus duodequinquagesimo, autoritas Apostolica eum libellum comprobarat luculento diplomate, et laudarat, plurimum hortans omnes Christi Fideles : *ut tam piis documentis* (sic enim loquitur) *et Exercitiis uti, et illis instrui devote velint*. Quæ cum essent in libelli ejus causa, jam Pontificiæ quoque autoritatis reverentia agebatur. Et quidem calumniæ ipsæ plane erant ejusmodi, ut si venirent singillatim in lucem, per sese concideret, tamen Diabolo in primis gestiente (qui quo absurdius humanis illudit mentibus, eo triumphat insolentius), confuso rumore per multitudinem dedito, superstitionum et hæresum, grave pietatis damnum minitabantur.

Notat ex libro Exercitiorum varia ad censuram, & ad Silicæum & ad Inquisitionem defert.

Tanto igitur malo Araozius occursurus, memor mansuetudinis Christi, hanc mollissimam extinguendæ flammæ viam inivit. Doctores magni nominis rogat, suam ut et ipsi de eo opusculo sententiam scripto edant et suo chirographo subsignent. Quod præ cæteris Alfonsus Vergara, Conchensis Canonicus, pietate ac doctrina inclytus,

Doctores alii scripto defendunt Exercitia. *Ibidem.*

Doctorque Joannes Costa, et Bartholomæus Torres, ambo deinde Episcopi, ille Legionensis, hic Canariensis, cujus etiam extant insignia de santissima Trinitate monumenta, luculenter fecere. Ac Torres quidem multa super ea re edidit scripta: ex quibus juvat hic ad doctrinam multiplicem unius partem adscribere.

6. Bartholomæi de Torres pulchra defensio, & laudatio libri Exercitiorum. *Ibidem.*

Testis est Deus, inquit, *quam ex voluntate mea ceciderit, ut de Societatis Jesu Exercitiis sententia mea postularetur. Cupio enim simpliciter et christiane quid hac in re sentiam palam facere toti Orbi terrarum. Ac primum, ne quis existimet ex privato me quopiam affectu loqui, aio me hominem de Societate Jesu non esse: quamquam si serio essem virtutis cupidus, dudum in ea, vel in alia sanctarum Religionum, versarer. Aio deinde, quamvis Doctorum e numero ipse sim indoctissimus, posse me tamen satis interrogationi propositæ respondere, cum et Societatem ab ejus exortu noverim, et pridem Salmanticæ cum Ignatio, deinde cum ejus disciplinæ alumnis perfamiliariter egerim, diligenter observans quo res ordinis hujus evaderent, oculis assidue ipsa in facta conjectis, quæ minime patiuntur diuturnam fieri fallaciam. Aio præterea, ex qua die sanctam hanc Societatem novi, nullum umquam errorem crimenque compertum in hominibus, qui quidem vere ex ea essent. Nam rerum imperiti, ubi de Sacerdote quopiam forte rumor minus commodus exiit, de Societate esse eum loquuntur. Super hæc, nego quempiam vere ac perfecte Exercitiorum posse vim æstimare, nisi in iis se ipse exerceat. Etenim cum tota referantur ad inserendas virtutes in animis et vitia extirpanda,*

nemo est qui possit virtutis percipere vim gustumque sentire, nisi in ea prius elaboret. Vidi ipsemet homines doctos, qui Exercitiorum res, cum tam claræ catholicæque sint ex Evangelio depromptæ sanctisque Doctoribus, intelligere non possent; quas tamen, qui eas ad usum referunt, negotio nullo intelligunt. Nimirum longe aliud est scire literas, ac res percipere spiritus, quæ, præter literas, actionem orationisque usum ac virtutum postulant cæterarum. Me quidem profiteor Compluti ad eam formam exercitum, ac Deum testor triginta annis quibus versor in stadiis Sapientiæ, et permultis quibus Theologiam doceo, nunquam ad meam utilitatem didicisse tantum quamtum me Exercitia diebus paucis docuerunt. Quod si cuipiam doctorum, cui sua placeat scientia, mirum fortasse accidat, experimentum appello : tentet idem atque existimabit idem. Neque in obscuro est ratio, quod priora videlicet studia ad docendum, Exercitia vero ad agendum referebam, valdeque interest scire ut doceas ac scire ut facias. Addo cognitos mihi permultos, qui Exercitationes illas suscepere, multisque me meorum Auditorum, cum Religiosis, tum Secularibus, persuasisse ut susciperent: nec tamen cognitum quempiam, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit palamque prædicaret nihil omnino e mortalibus rebus se voluisse iis antelatum. Atque utinam quanti est ille Thesaurus, tanti æstimare nossemus. Nam cum tanti sit momenti oratio ac meditatio, propter rationem ac viam, quæ commodissima ibi traditur, multi per ea plus brevi consequuntur quam longo alii tempore ac labore eo præsidio destituti. In

summa, qui cupiat nosse quid Exercitia sint, pronuncio aliud nihil esse quam considerare attento et quieto animo capita fidei, legem ac præcepta Dei ejusdemque beneficia, vitam et mortem Christi; recognoscere anteactam vitam, statuere de futura. Hostem vero gentis humanæ, cum videat ingentia eorum ad pietatem emolumenta, machinas admovere omnes ut e rerum natura tollat. Verum, vel inde apparet negotium esse divinum quod insectationibus proficit, quantoque acrius oppugnatur, tanto fortius convalescit. Simulque pronuncio Exercitia quæque in iis continentur, universa et singula, autoritate Apostolica comprobata esse, adhortante insuper Pontifice fideles ut iis utantur, planeque indignum esse viro sapiente affirmare Pontificem id approbare, et ad id exhortari Fideles quod errores contineat. Nec dubito quin, si homines Societatis, quibus pro Christi amore gratæ sunt ignominiæ, ad Sacrum Quæsitorum Concilium adversariorum deferrent nomina, in eos severe animadverteretur. Ceterum cum Sedes Apostolica Exercitia comprobarit, aio ac pronuncio nemini fas esse, asserere in iis errores esse, neque id agere ut emendentur. Verum, si quid forte (quod tamen non est) difficile deprehenderetur, id modo curandum ut declaretur. Omnia ergo quæ in iis sunt, vera et Catholica sunt; et contraria iis, errores. Quæ vero objiciuntur, ut alio loco, singillatim refutans, ostendo, plane inania, multa etiam ridicula esse confirmo. Hæc Torres et alia multa, præsertim de hominibus in Societate doctis, fructuque per eam in Hispania, ac ceteris terrarum oris parto, cum disputasset: *illud,* inquid, *postquam nomen meum*

huic disputationi subscripseram, mihi succurrit: Qui se deprehendisse errores in Exercitiis dictitant, sine dubio diligentiam in iis expendendis adhibuere: at non minorem adhibuit Pontifex. At isti condemnant, Pontifex commendat. Respondeant utrius autoritatem me deceat sequi. Hæc oratio, mea, inquit, *sententia, quemvis qui modo sapiat cohibere potest, ne posthac nisi ad commendationem libelli hujus verbum audeat facere.*

7. Mancius Dominicanus apud Silicæum Exercitia defendit, & tempestas sedatur. *Ibidem.*

Et plane ita evenit. Vulgatis hisce aliorumque Doctorum scriptis, rumor paulatim vulgi omnis conatusque adversariorum per sese consenuit. Plurimum deinde profuit ad eam rem Mancii quoquo sententia, qui Sacro Prædicatorum ex Ordine vir magni nominis in Hispania, Complutique nobilis Professor Divinæ Sapientiæ e Principe Sella; idemque cum perstudiosus familiæ nostræ, tum ipsi præsuli Toletano percarus erat. Cui cum Præsul ipse legendum Exercitiorum volumen expendendumque tradidisset, is eo accurate perlecto per dies aliquot, libera voce respondit nihil se in eo deprehendisse censoria nota vel animadversione dignum. Cumque alium ei codicem Præsul a Cano sugillatum impingeret, respondit Mancius, ne in eo quidem quicquam mali esse præter unam sugillationem Cani. Hunc in modum veritas patefacta, malevolorum technas atque mendacia sua luce discussit eademque seipsam, cum vi sua, tum Sedis Apostolicæ autoritate, defendit.

Anno 1554. Societ. 15.

8. Laureti, Exercitiis utuntur Canonici. *Orland. lib. 14. n. 24.*

Sequitur annus seculi illius quartus supra quinquagesimum, quo Ignatius jussu Pontificis de Societate quatuordem Lauretum misit. Excepti sunt a Canonicis eximia caritate, gaudentibus

addi sibi adjutores ad celebritatem Sanctæ Domus augendam ; et ad suum quoque profectum susceptis Spiritualibus Exercitiis multi cœpere uti.

9. Compluti per Exercitia, viri insignes viginti ad Societatem veniunt. *Ibid. n. 75.*

Identidem revocamur in Hispaniam, ubi, quemadmodum plures extiterunt insectationes, sic uberiores collecti sunt fructus. Compluti, quamquam usitata Spiritus Exercitatio multum animis commodi superioribus annis semper attulit, cum per eam jam inde ab nostri Collegii incunabulis Complutensis Academia multorum magnorumque virorum copiam in hanc familiam effuderit, hic tamen annus in ea re longe fœcundissimus fuit, cum Societatem inierunt delecti viri viginti, qui vel suæ disciplinæ studiorum metam attigerant, vel adhuc in nobilissimo illo sapientiæ domicilio versabantur.

10. Petrus Tablares inter alios exercet Conchæ Petrum Puteum Canonicum, qui fit Societatis. *Ibidem. n. 76.*

Cum vero ex Complutensi Collegio eodem per æstatem interdum valetudinarii nonnulli, salubrioris cœli petendi gratia Concham mitterentur, per eam occasionem Petrus Tablares, tum alios Conchenses Cives, tum Petrum Puteum e Canonicorum Collegio ad Exercitia spiritus pellectum Societati adjunxerat. Itaque, cum Villanova primo vere Concham ad Alfonsum Vergarum venisset, adeo Petrum jam deditum addictumque rebus nostris invenit, ut ædes quas ipse ad delicias sibi prorsus ex animi sui sententia, una cum hortulis et fonticulis extruxerat, Collegio instituendo concesserit. Ædem insuper Sacram suis sumptibus extructurum, et quidquid ad domesticum instrumentum pertinet, curaturum se benigne ac prolixe recepit. Ventum est in earum possessionem ædium tertio Idus Septembris. Luculentum enimvero

11. Conchensis Collegii initia per Exercitia.

exemplum Societatem nostram, non Sociorum tantummodo, sed domiciliorum quoque numero per Exercitia mirifice fuisse amplificatam, quemadmodum in historia hac locis pluribus legitur et demonstratur. Non est omnino extra rem, quod proxime subjungimus.

12. Archi-Episcopus Granatensis Petrus Guerrerus populum ad Exercitia excitat, exemplo Christi secedentis in desertum *Orland. lib. 14. n. 86.*

Petrus Guerrerus Archi-Episcopus Granatentis, cum domus nobis Granatæ cum aliquanto annuo vectigali ab uno alteroque cive tributa fuisset, ut primum in eam urbem ingressi fuimus, summa nos benevolentia excepit, et Patrum tenuitati inopiæque cognitæ, re frumentaria ac nummaria prospexit tam prompta benignitate ut, praecepto obedientiæ imposito, ab se peti quidquid necessarium foret juberet. Nimirum, instituta nostra Tridenti cognorat; orandi vero viam de Ignatii formula usque eo probavit ut publice eam deprædicaret; ac pro concione quondam de secessu disputans Christi Domini in desertum, tamquam ad Exercitia Spiritualia dixerit secessisse, ut omnes suo invitaret exemplo, doceretque necessarium cuique subinde esse ad res animi sui considerandas locum tempusque vacuum sumere.

13. Franciscus Turrianus Canonicus per Exercitia fit Societatis. *Ibidem.*

Sic Franciscus Turrianus viri locupletissimi filius, Canonicorum ibidem e numero unus, cum in Oppidum Sanlucar ad exercendum spiritum secessisset, Granatam inde reversus, coram Antistite eo se honore spoliavit, Societatique se ac rerum suarum plerasque dedit : ut pateat quantum per Exercitia spiritus Granatensis Collegii primordia creverint.

14. Granatensis Collegii initia per Exercitia.

15. Prima Exercitiorum hebdomada juvat ad fructuose confessiones audiendas. *Ibid. n. 93.*

In Lusitania, ex Eborensi Collegio in Oppidum Elvas, Henrici Cardinalis rogatu, par Sacerdotum

Emmanuel Fernandius, et Petrus Sancticrucius profecti, quadrimestri labore egregiam sane operam posuerunt. Inter cetera, cœtus menstruæ homologeseos et synaxeos institutus ; quæ sancta Mysteria amplius centum jam frequentabant Sacerdotes, prima Exercitiorum hebdomoda eruditi omnes, et ad suum munus, ante omnia ad aures benigne præbendas confitentibus, incensi. Qui enim per Exercitia primæ hebdomadæ in seipso dignos pœnitentiæ fructus tulerit, is facilius ad pœnitentis animi dolorem et vitæ male actæ ferventem detestationem ceteros adducere, et accendere poterit.

16. In Aula Lusitanica meditatio floret. *Orland. lib. 14. n. 97.*

Almerini, ubi frequens agebat Lusitana Aula, fervebat susceptus superiore anno cursus Christianæ laudis. Infans Elizabeta, non, ut interdum præ malo pudore homines solent, latebras ad pietatis captabat studium ; sed palam cum liberis omnibus stata piæ meditationi tempora impendebat. Regina, Provinciali edocente, ex primo orandi modo quem B. Ignatius tradit, singulis diebus unum e Decalogi præceptis sedulo perpendebat. Utinam ad tam illustrem Christinæ pietatis morem inferiores familiæ regiis hisce exemplis excitentur !

17. Regina utitur quotidie primo modo orandi. *Ibid.*

18. Dœmon, Laureti apparens cuidam Nostro, conatur illum ab Exercitiis & Societate avocare. *Orland. lib. 15. n. 13.*

Non mirum est si, quemadmodum Christo in solitudine, ita et iis qui in secessu Exercitiorum versantur, dœmon nonnumquam molestus sit. Hujus generis Oliverius Manaræus commemorat in literis suis quidpiam, se Rectore, Laureti accidisse. Flander erat, in Societatemnuper adscitus, seorsimque ab aliis, ut mos est, in orationis Exercitatione se continens. Huic dœmon per licentiam

solitudinis spectandum, Æthyopis specie, viridi in veste, se præbuit, hortans verbis ut jucunditati se dederet, remitteret animos, et ab ea vitæ severitate discederet. Revocabat in mentem anteactæ vitæ commoda, ponebat ante oculos præsentis incommoda, truculentos hominum vultus, et ora tristia, quibuscum vivendum et contirenter agendum esset. At ille cum hortatorem suum, intellecta fraude, constanter repulit, Æthyops repulsam indigne ferens, et ore fœtido teterrimum ei odorem inhalans : Quoniam meum, inquit, consilium abjicis, hæ sint tuæ deliciæ voluptatesque. Cujus odoris intolerabilis fœditas toto ejus dispersa cubiculo, aulaque proxima in diem posterum etiam tenuit.

19. Religiosus S. Francisci, Septimancæ Exercitia faciens, laudat Novitiorum nostrorum obedientiam. *Ibid. n. 87.*

Septimancæ ad domum Probationis venit ex disciplina S. Francisci veteranus pater ad B. Patris Nostri obeundas Exercitationes, qui cum Sacrum faceret in Sacello domestico, mox sancta Mysteria perfecturus, atque, edito signo campanæ, Novitii qui examen conscientiæ matutinum in eodem Sacello peragebant, consurgerent, et quo vocabantur abscederent, subitam illam parendi celeritatem, adducto etiam veteris monachi cujusdam exemplo, mire deprædicabat.

Anno 1555. Societ. 16.

At paulo accuratius commemorandum est, quomodo Collegii Placentini Fundatori, pro tanta munificentia, suis Societas officiis gratam se se exhibuerit, et adhibito piarum recessu Exercitationum, non inferioris generis beneficio ipsius eximiam liberalitatem compensaverit. Erat is Guterrus Carvajalius Episcopus, qui cum ab Ignatio Collegium in ditione sua petiisset, missus ad eum superiori

20. Guterrus Carvajalius Episcopus Placentini Collegii Fundator. *Orland. lib. 15. n. 91 & 92.*

anno fuerat Villanova, cum Doctore Marco Salina; eodemque postea cum Bustamantio aliisque nonnullis Borgia ipse se contulit, qui apud Episcopum diversabantur. Hoc autem anno seculi ejusdem quinquagesimo quinto ad quem devenimus, cœptum est Placentiæ ab Episcopo Collegium extrui, et ab eodem Præsule vectigal est auctum in alimenta capitum quadraginta, et Fundationis nomine aureorum millia triginta numerata.

Mores suos, non satis convenientes dignitati suæ, corrigit per Exercitia potissimum hebdomadæ primæ. *Ibidem.*

Habebatur vulgo Episcopus ille generosus potius eques, quam pius strenuusque sacerdos. Sed cum ei plurimum se debere sentiret Borgia, qui anno proxime præterito commissarius erat renunciatus, propter summa Præsulis in se Societatemque promerita, placuit meritam referre gratiam. Monuit ergo qui in eo erant Collegio Patres, ut quam accuratissime Deo commendatum Episcopum vellent, suasque omnes precationes ac Sacrificia, jejunia et corporis afflictationes eo referrent ut Deum Pastori placarent. Toto itaque mense Dei mitigata Majestas præsertim a Borgia, qui aliquando nonnullis Patribus ex oratione digressus obviam factus, vultu inflammato et ardentibus oculis: grates, inquit, agite Deo, qui nunc demum suam nostro Episcopo misericordiam impertiet. Nec vana cecinit. Nam cum ad eum postea Villanova redisset, ut tota eum libertate moneret, curam ut gereret salutis animæ suæ. Tu quidem, inquit, Episcope, nos hic adhibes, ut tuo gregi prosimus feramusque fructus, ceterum a te Pastore faciendum initium est. Perculit ea vox insolens et tam inusitata Pastorem, nec verbum addidit. Sed Villanova, cum in ejus pectus quoti-

dianis se monitis ac consiliis insinuaret, tandem volens arma spiritualium considerationum ad expugnandos animos fortissima adhibere, impulit eum ut, retortis ad anteactam vitam oculis, quo in statu versaretur attenderet. Statuit igitur ille neglecti ad eam diem animi plus rationis habere ; secessit paulisper a populo strepituque curarum et precationi lacrymisque se dedit. Dein, hoc quasi jacto gradu, ad majora quotidie contendit. Edicendum tota Diœcesi curavit ut, si quis se oppressum aut fraudatum vel ab se vel ab suis familiaribus quereretur, is apud delectos judices causam ageret, et quod suum esset reposceret. Tres autem delegerat viros qui jus dicerent et sua cuique redderent, Provisorem suum, et duos de Societate Patres, alterum Theologum, alterum juris Pontificii peritum. Apud hos magnam vim auri argentique deposuit, unde iis universis quibus fraus aliqua facta esset commode satisfieret.

Recensentur egregii fructus inde secuti. *Ibid.*

Non tædebit cognoscere quos alios fructus pepererit illa sui ipsius de rebus antea perperam gestis sedula et severa discussio, quæ propria est hebdomadæ Exercitiorum primæ. Postea igitur Præsul ille ad ordinandam familiam suam versus, eam omnem correxit ad frugem. Ipse vero reconciliavit se cum Clero, aliisque quibuscum ei litium aliquid antea fuerat, aut unde in re aliqua læsus esset. Denique totum se in alterum vertit ; et aliud vitæ, quale scilicet personam illam decuit, inchoavit initium. Is deinde dicere solitus est : neminem unquam se magis reveritum quam Villanovam, nec ulli se obsequentiorem

summissioremque fuisse ; facile ut appareat, quanti in integro viro libera valeat et tempestiva monitio. Simul illud apparet quam utiliter et salutariter apud Dei famulos beneficentia collocetur.

21. In Indiis, Ludovicus Almeida, Chirurgus, per Exercitia ad meliorem frugem & tandem ad Societatem convertitur. *Orland. lib. 15. n. 137.*

Hoc eodem anno, præsidio Spiritualium Exercitationum magnum Ecclesiæ Japonicæ obsequium cœpit præstare Ludovicus Almeida. Venerat is Funajum in Lusitana Eduardi Gamæ navi. Flos erat in eo juventæ, blandiebanturque successu ad id loci secundo negotia, cum, Deo animum ejus movente, statuit B. Ignatii meditationibus tantisper vacare, exploraturus num bene tot discrimina ponerentur, et quo demum discursus tam frequens ferret. In eo sancto otio, ad lumen divinum rerum veros colores dispiciens, Japoniam sibi patriam delegit, ac totum se remque suam Christo ejusque religioni propagandæ dicavit. Chirurgus erat non malus. Hac ope Japonum succurrere corporibus consilium capit, animas ut eorum pretium ferat, quas lucrifaciat Redemptori. Mos erat præ ceteris in Japonia barbarus, ut de vulgo homines, seu rei familiaris inopia, seu educationis tædio, quos genuerant ipsimet enecarent, parentes iidem ac parricidæ. Admonitus a Balthasare Gago sacerdote nostro hujus immanitatis, Almeida certam pecuniam in opus destinat quo vita innocentibus et corporis ematur et animæ. Legebantur nutrices christianæ, quæ quasi cum lacte Christum renatis sacro latice parvulis instillarent. Ideo Bungensi Regi probatum est opus, ut cum Gagus ab hoc eum hortaretur, summa voluntate, non edicto solum caverit ne quis suis

Is egregiam Japoniæ operam navat.

infantibus eriperet animam, sed etiam nutricum suppeditaturum copiam, sese ultro receperit. Rege item suppeditante sumptus, valetudinarium Funaii extructum est, ubi idem Almeida suam cuique morbo curationem sedulus admòvebat. Opus acceptissimum cœlesti miserorum Patri. Itaque non scientia medendi, qua nunquam tantum posset, sed plane divino dono valetudines desperatas Almeida persæpe restituit. Ipse idem hoc anno perfectæ studio vitæ Societati se dedit, pecuniæque suæ fructibus operariorum Christi in Japonia multos annos difficultates sustinuit : multa gessit feliciter, et passus est fortiter, in variis fundandis Ecclesiis.

Anno 1556. Societ. 17,

Superest Annus sextus et quinquagesimus, qui finem imponet primæ parti hujus historiæ. Hoc igitur anno Fulvius Androsius, qui anno superiore Doctor et Lauretanæ Ædis Canonicus ad Societatem venerat, dum Meldulam mittitur, apud Fulginium in Abbatia cui nomen S. Maria in Campis, exceptus hospitio, præclaram hospitibus mercedem rependit. Unius confessionem magno cum dolore ac fletu totius vitæ peccata retexentis excepit ; alios adduxit ut reciperent Lauretum se ad Exercitia Spiritus profecturos : cunctos demum sanctis moribus inflammavit.

22. Fulvius Androsius, in Abbatia apud Fulginium hospitio exceptus, Religiosos ad Exercitia Laureti obeunda excitat. *Orland. lib. 16. n. 13.*

Alibi quoque extra Italiam, inter cetera Societatis Ministeria, vigebat usus Exercitiorum Spiritualium.

Ineunte vero anno varia egit et decrevit Ignatius Societatis conservationi imprimis utilia. Inter cetera Exercitiorum Spiritualium vehementer usum commendans, quo latius eorum manaret

23. Ignatius monet Exercitia primæ hebdomadæ etiam conjugatis viris fœminisque dari posse. *Ibid. n. 2.*

utilitas, admonuit ut quæ ad primam hebdomadam pertinent, conjunctis etiam matrimonio viris ac fœminis impertirent.

24. Mors S. Ignatii. *Orland. lib. 16. n. 89.*

Sed super omnia memorabilis est hoc anno mors Sancti Patriarchæ nostri Ignatii, Autoris illius libelli contra quem Satan tot suscitavit insectationes ; conatu tamen irrito, neutiquam enim impedire potuit fructus uberrimos in hominibus omnis status et conditionis productos, et latissime propagatos per terrarum Orbem universum.

25. Ludovicus Strada, ex Ordine S. Bernardi, Exercitia laudat. *Bartol. lib. 1. n. 18.* *Orland. lib. 16. n. 127.*

Quamobrem Ludovicus Strada, vir egregie doctus ac pius ex Ordine S. Bernardi, intellecta morte S. Ignatii, Epistolam dedit hispanice ad Socios nostros Septimancenses, in qua Exercitationes illas Spirituales appellat Novitiatum quemdam toti humano generi institutum. Quod sicut Religiosi Ordines habent Gymnasia, in quibus suos quique tyrones ad suam vitæ formam exercent ac fingunt, ita ex universo mortalium cœtu, Exercitationibus a B. Ignatio inventis, suo quique in vitæ genere, ad perfectam Christianæ legis disciplinam erudientur. Hoc sapientissimi viri effatum videtur deinde confirmatum per Officium divinum de S. Ignatio, in quo Ecclesia legit : *Admirabilem illum Exercitiorum librum Sedis Apostolicæ indicio, et* OMNIUM UTILITATE, *approbatum esse.*

26. Exercitia sunt Novitiatus toti humano generi.

27. Meritum & gloria S. Ignatii per Exercitia.

Contigit mors illa pridie Kalendas Sextiles, sive ultimo die Julii, quo ipso die, octo ante annis, Paulus III. Pontifex Maximus tam ample approbarat librum Exercitiorum. Neque dubitandum videtur, quin sit pars non parva ejus apud Superos gloriæ, intueri Christum, ad cujus gloriam propagandam, in solitudine Manresana composuerat

libellum illum, *ex iis quæ Divino Magisterio didicerat* (sic loquebatur, ex relatione Auditorum Rotæ, ad Gregorium XV. Advocatus Consistorialis), nam *cum dicta Exercitia* (verba sunt ejusdem relationis) *facta fuerint eo tempore, quo dictus Beatus Pater erat idiota et literarum ignarus, utique cogimur fateri: dictam cognitionem ac lumen supernaturaliter infusa potius quam acquisita fuisse.* Insuper singulare quoque cœleste gaudium accedat necesse est, intuendo Christum, non tantum tamquam divinum suum Magistrum, sed etiam tamquam Remuneratorem servi sui, qui Christi doctrinam tam prompta voluntate excepit, mundanasque res omnes abjiciens, vitam suam tanta cum fide et constantia eidem conformavit, innumerosque alios ad obsequium sui Conditoris salutemque æternam, per ea quæ didicerat, adduxit.

28. Ignatius, inter tria, optaverat Exercitiorum approbationem. *Orland. lib. 16. n. 93.*

Tria Ignatius expetiverat, antequam e vita concederet, videre perfecta: Exercitia Spiritualia autoritate Apostolica comprobata, confirmatam eadem Societatem, Constitutiones conditas. Horum compos votorum factus, jam nihil nisi clamabat ad Dominum, ut Servum suum in pace dimitteret in eum locum ubi totus sine ulla intermissione labisque admistione posset in divinæ Majestatis laudes impendi.

Cur Exercitia, inter illa tria, primum locum teneant.

Mirabitur fortassis quispiam, inter tria quorum Ignatius ante mortem compos est factus, primo loco nominari Exercitia, cum constet Societatem, quæ secundo loco ponitur, aliquot ante annis fuisse confirmatam, quam Exercitia fuerint approbata. Sed notandum est Societatem et Cons-

titutiones non immerito post Exercitia poni, quia Exercitia sunt quodammodo radix, fons et genitrix quædam Societatis et Constitutionum : ita ut hæ originem suam omnem Exercitiis Spiritualibus debeant, non hæc vicissim illis.

29. Satis est Exercitia nosse, ut quis Ignatium æstimet. *Ibid. n. 101.*

Si vitam Ignatii describeremus, deberemus Historicorum more, enuntiata ejus morte, in laudes virtutum ejus latius excurrere ; at non vitæ, sed arctioribus quibusdam Exercitiorum terminis continemur. Quamquam videri possumus omnia complexi, si dixerimus : ut quis Ignatium æstimet, satis esse si noverit Spiritualia ejus Exercitia. Hæc sunt forma quædam sanctitatis Ignatii : in his descriptæ sunt viæ et signata vestigia per quæ ad celsissimum perfectionis culmen pervenit. Constitutiones vero Societatis sunt imago quædam Ignatii spiritu Exercitiorum informati ; ipsa demum Societas est exemplar vivum istius imaginis, eritque semper, quamdiu studium cœlestis doctrinæ quæ libro Exercitiorum continetur in ea vigebit.

30. Elogia de virtutibus Ignatii facta, sunt simul elogia Exercitiorum.

Sane dum perpendo ea quæ de Ignatii virtutibus elogia, post exactam ejus vitam, alii conscripserunt, comperio illos sponte sua et quasi necessitate quadam, quæ ex ipso argumento nascitur, contexere simul elogium Exercitiorum.

Dum enim exponunt prima ejus mutatæ vitæ exordia expiandique veteres noxas per voluntarias pœnas ardorem, id mox referunt ad illam lucem cœlitus infusam, qua intellexit : ad id hominem esse genitum, ut Domino ac Procreatori suo serviat ; nec respiciendas res ceteras, nisi quatenus ad eum finem consequendum juvant ; atque

adeo æterna supplicia eum mereri, qui, neglecto hoc fine, Deum deserit. Jungunt hisce et depraedicant confessionis generalis et utriusque examinis usum accuratissimum, nec dissimulant hæc esse eadem, quæ prima Exercitiorum hebdomade traduntur.

Multis extollunt illud, quod revera in B. Patre fuit eximium, videlicet quod ratione plurimum et consilio uteretur : sic tamen extollunt ut non sileant usum familiarem Regularum quas scripsit de eligendi modis ; imo illas ipsas Regulas tradunt et explicant, ut describant ejus deliberandi modum.

Zelum ipsius ad juvandos proximos (qui nec laboribus, nec opprobriis, nec carceribus, nec periculis infringebatur et ex adversis majores sumebat vires), petunt ab illa quam sibi proposuerat, Regis ad pium bellum invitantis, et duorum sibi invicem contrariorum Ducum, ad Vexillum suum homines allicientium, contemplatione : ex qua tantum assimilandi se Regi et Duci suo Christo studium in pectore ipsius exardescebat, ut non modo, quantæcumque felicitatis conditione oblata, nullam quamvis levissimam suscepturus esset labeculam, quæ Regis sui displiceret oculis ; sed etiam si hinc opes, nobilitas, gloria ; inde contraria prorsus, quæ vulgus mala vocat, objicerentur, atque utrimque par Dei laus appareret, ad majorem tamen imitationem Regis sui pro salute hominum Crucifixi mallet cum eo paupere, spreto et illuso, pauperiem, contemptum, et insipientiæ nomen eligere, quam alia quæ mundus amat et amplectitur.

Ad inflammatum ejus erga Deum amorem demonstrandum, quamvis jam dicta illum luculenter declarent, ea quoque recensent quæ in Contemplatione ad amorem spiritualem excitandum Ignatius posuit, quæque ipse in animo suo identidem versabat, totus fixus in Deo.

Idem S. Pater optime animadvertit in Contemplatione de duobus Vexillis, ei, qui scopum in ea præfixum attigerit, hoc est qui tres virtutes ibi propositas assecutus fuerit, ceteras virtutes omnes facili negotio accessuras. Quapropter cum nefas sit dubitare quin S. Pater tres illas virtutes, non modo attigerit, sed per tertium humilitatis modum etiam transcenderit, concludamus necesse est, virtutes ceteras apud eum in sublimi prorsus gradu positas fuisse. Atque ex his denique patet laudes Ignatii communes esse cum laudibus Exercitiorum ipsius Spiritualium.

31. Per Exercitia satisfit duplici Societatis fini.

Ut igitur finem primæ parti hujus historiæ imponamus, hoc ad extremum animis nostris insculptum maneat : Finis nostræ Societatis duplex est : primus *saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare.* Alter vero, *cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere.* Quam præclare utrique huic fini per Exercitia Spiritualia satisfactum fuerit vivente Ignatio, cognoscitur liquido ex iis quæ hoc volumine narrata sunt ; et tamdiu Societas satisfaciet quamdiu vestigia illa premet majorum suorum et S. Fundatoris sui, et quemadmodum tunc Societas, sic quoque deinceps insectationibus omnibus, quas tartareus hostis perget excitare, superior erit, et perget crescere.

32. Exercitia sunt arma & anima Societatis.

Exercitia hæc sunt arma, cœlesti opifice dirigente, ab Ignatio in Manresano recessu fabricata, quibus Societas pugnat contra hostes Ecclesiæ militantis. Sunt anima qua vivit et viget propria Societatis perfectio, et qua membra omnia, tamquam in uno corpore, vinculo sinceræ cheritatis colligantur inter se: et quamdiu illo cœlesti spiritu vegetabitur, tamdiu non cessabit vitam illam spiritualem communicare proximis, et per eamdem viam illos ducere ad salutem et perfectionem. Quinimo omnia Societatis ministeria et munia, sive aures confitentibus præbendi, sive privatim cum hominibus agendi, sive ex altiori loco ad concionem verba faciendi, sive rudes docendi, sive ægros miserosque consolandi, sive Superiorum missione aberrantes a veritate, etiam per remotissimas Provincias conquirendi, sive quemcumque alium laborem pro salute hominum suscipiendi, omnia, inquam, *illa ab illo Exercitiorum Spiritu vires ac robur accipere necesse est.*

Deprecatio Auctoris ad Deum pro impetrando fructu Exercitiorum.

Excita, Domine, et conserva in Societate tua Spiritum Exercitiorum, cui Beatus Ignatius Fundator servivit; ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit: per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

FINIS

Ad majorem Dei gloriam.

INDEX RERUM

IN HISTORIÆ EXERCITIORUM PARTEM PRIMAM

(Prima litera arithmetica librum, sequentes libri numerum signant)

A

De Achille. Vide Paulus de Achille.

Ægidius Foscararius ex Ordine S. Dominici, a Paulo III. Pontifice statuitur Censor libri Exercitiorum. **lib. 6. n. 1.**

Approbat Exercitia. **Ibidem.**

Factus deinde Episcopus, vult Parochos ex materia hebdom. 1. concionari. **lib. 6. n. 27.**

Æmilianus Loyola, S. Ignatii ex fratre nepos, per Exercitia fit Societatis. **lib. 4. n. 20.**

Almeida. V. Ludovicus Almeida.

Alphonsus Salmeron. Ipsius ardor in Exercitiis. **lib. 2. n. 8.**

Secundus, judicio Ignatii, in peritia dandi Exercitia. **lib. 4. n. 35.**

Bononiæ, dat primariis viris Exercitia **lib. 6. n. 5.**

Bellini, in ditione Veneta, dat Exercitia. **lib. 6. n. 20.**

Alphonsus Ramirius de Vergara, post Exercitia, aliis dissuadentibus, Societati adhæret eidemque ædes Compluti procurat, atque hoc est initium Complutensis Collegii. **lib. 6. n. 22.**

Alphonsus Velascha per Exercitia petit Societatem, sed fit deinde Archiepiscopus. **lib. 5. n. 30.**

Alvarius. V. Joannes Alvarius.

Andreas Frusius a Lainio Romæ exercetur, et fit Societatis. **lib. 4. n. 18.**

Florentiæ et in Monte Politiano, multis dat Exercitia. **lib. 5. n. 26.**

Ejus versio libri Exercitiorum, prælo aptior visa est. **lib. 6. n. 26.**

Andreas Lipomanus per Exercitia Societati mire conciliatur, eique ædes Patavii pro Collegio destinavit. **lib. 4. n. 25.**

Andreas Oviedus apud Borgiam quatuordecim simul exercet. **lib. 5. n. 16.**

Murciæ, Exercitia dat Stephano Almeida Carthaginensi Episcopo : atque hinc orta cogitatio de Murciensi Collegio. **lib. 6. n. 13.**

Androsius. V. Fulvius Androsius.

Annibal Codrettus per Exercitia fit Societatis. **lib. 5. n. 15.**

Antonius Araozius per Exercitia fit Societatis. **lib. 4. n. 4.**

Barcinone, per Exercitia Societatem auget. **lib. 4. n. 51.**

Quomodo pro Exercitiis contra Silicæum et Canum, Toleti, processerit. **lib. 7. n. 5.**

Antonius Gomius per Exercitia factus Societatis. **lib. 5. n. 4.**

Augustinus Pedemontanus quidam, habitu ex Eremitarum Ordine, quia Societas concionibus ipsius Lutheranicis Romæ se opponit, conspirat contra Societatem et hujus Exercitia ; conquirit falsos testes. **lib. 3. n. 6. et 7.**

Genevam fugit; ibi dicitur combustus. **lib. 3. n. 16.**

Scripsit Summarium Scripturæ, Romæ prohibitum. **lib. 3. n. 16.**

Azebedius. V. Ignatius Azebedius.

B

Barcinonæ, per Exercitia quatuor socii junguntur Ignatio, non perseveraturi. **lib. 1. n. 10.**

Tantus ibi, etiam Principum, ad Exercitia concursus, ut decem Institutores non sufficerent. **lib. 4. n. 28.**

Bartholomæus Torres dat pulchrum testimonium de Exercitiis; fuit Episcopus Canariensis. **lib. 5. n. 11. lib. 7. n. 5. et 6.**

Barsæus. V. Gaspar Barzæus.

Belgicæ Societatis initia per Exercitia. **lib. 4. n. 39.**

Benedictinorum duplex testimonium contra Auctorem adscribentem Cisnerio librum Exercitiorum; pro quo illis Societas gratias egit. **lib. 3. n. 3.**

Benedictus Palmius, per Exercitia, non obstantibus quibusdam, fit Societatis. **lib. 5. n. 15.**

Blosius. V. Ludovicus Blosius.

Bobadilla. V. Nicolaus Bobadilla.

Broët. V. Paschasius Broët.

C

Calvini de Exercitiis deliramentum; Calvinistæ item Gabrielis Lermei. **lib. 2. n 23. et 24.**

Canariensis Episcopus. V. Bartholomæus Torres.

Canisius. V. Petrus Canisius.

Canonici Laureti Exercitiis excoluntur. **lib. 7. n. 8.**
» *Ratisbonæ* » » **lib. 4. n. 25.**

Canus. V. Melchior Canus.

Carvajalius. V. Guterus Carvajalius.

Cisnerius. V. Garzias Cisnerius.

Clanonius. V. Joannes Clanonius.

Claudius Jaius per Exercitia fit septimus Ignatii Socius. **lib. 2. n. 12.**
Canonicis, Ratisbonæ, Exercitia dat. **lib. 4. n. 25.**
Augustæ, Sacerdotem opulentum per Exercitia mire immutat. **lib. 6. n. 28.**

Cochlæus, Doctor celebris, a Fabro Exercitia accipit, et ipse alios exercet aut exercendos curat. **lib. 4. n. 22.**

Codrettus. V. Annibal Codrettus.

Codurius. V. Joannes Codurius.

Cœnobia. V. Monasteria, Monachi, Monachæ.

Compluti dantur Exercitia, et oritur persecutio. **lib. 1. n. 11.**
Collegii, ibidem, initium per Exercitia. **lib. 4. n. 43.**

Congregatio Generalis VIII. Ordini Benedictinorum gratias agit pro testimonio contra Autorem adscribentem Cisnerio librum Exercitiorum. **lib. 3. n. 3.**

Consalvus Sylveria, postea Martyr, per Exercitia fit Societatis. **lib. 4. n. 44.**
Bracara in Lusitania, dat Exercitia. **lib. 6. n. 25.**

Consalvius a Camara. V. Ludovicus Consalvius a Camara.

Contarenus. V. Gaspar et Petrus Contarenus.

Contemplatio acquiritur bene per modum orandi et Exercitia S. P. Ignatii. **In Præfat.**

Cornelius Vishavæus ariditates patitur in Exercitiis. **lib. 4. n. 39.**
Lovanii, multos per Exercitia movet ad Religiosorum statum ; unde in eum orta est invidia. **lib. 1. n. 28.**

Cosmus Turrianus, In Indiis per Exercitia fit Societatis et Japoniam excolit. **lib. 5. n. 20.**

De Cupis. V. Joannes Dominicus de Cupis.

D

Diabolus aperto Marte Ignatium aggreditur, deinde sub boni specie et scrupulis. **lib. 1. n. 4.**
Laureti, cuidam e nostris apparet in Exercitiis, volens ab eisdem ipsum abstrahere. **lib. 7. n. 18.**

Discretio spirituum, unde in Ignatio cœperit. **lib. 1. n. 2. et 4.**
Novum discretionis experimentum. **lib. 1. n. 9.**

Director in via spirituali necessarius. **lib. 1. n. 2.**

Doctius. V. Gaspar Doctius.

Dœmon. V. Diabolus.

Domeneccus. V. Hieronymus Domeneccus.

Dominicani in Ignatium inquirunt. **lib. 1. n. 14.**
Ex eodem Ordine, Matthæus Ori æstimat Exercitia. **lib. 1. n. 18.**

Dominicus de Cupis. V. Joannes Dominicus de Cupis.

E

De Eguia. V. Jacobus et Stephanus de Eguia.

Electio. Ejus Regulæ unde ortæ. **lib. 1. n. 8.**
Usui fuere in stabilienda Societate. **lib. 4. n. 1.**

Elizabeta, Infans Lusitaniæ, Exercitia quædam palam suscipit. **lib. 7. n. 16.**

Emmanuel Godinus in Lusitania ad Societatem accessit, juvantibus Exercitiis. **lib. 3. n. 30.**

Emmanuel Miona ab Ignatio Epistolam accipit, et per Exercitia fit Societatis. **lib. 2. n. 16. et 17.**

Emmanuel Sa, per Exercitia, Conimbrice, ad Societatem venit. **lib. 5. n. 4.**

Everardus Mercurianus, Parisiis, Societati jungitur per Exercitia. **lib. 6. n. 10.**
Deinde, venientes ad Societatem ipse per Exercitia disponebat. **lib. 6. n. 21.**

Exempla de eodem argumento simul collecta magis movent et prosunt. **lib. 1. n. 1.**

Exercitia. Historiæ de illis utilitas. **Præfat.**
Sunt arma spiritualia Societati propria. **lib. 1. n. 1.**
Liber eorum paulatim crevit ; ordo et modus eorum est novus. **lib. 1. n. 6. et lib. 3. n. 3.**
Summa quædam eorum, eorumque memoria in antro Manresano. **Ibidem.**
Primi eorum fructus Manresæ. **lib. 1. n. 7.**
Morum mutatio ibidem. **lib. 1. n 7.**
Dantur Barcinone Exercitia, et quatuor Socii sequuntur Ignatium. **lib. 1. n. 10.**
Patiuntur persecutionem Compluti et Salmanticæ. **lib. 1. n. 10.** et seqq.
Examinatur locus de differentia peccatum mortale inter et veniale. **lib. 1. n. 17.**
Eorum salutaris Theologia quomodo æstimata a Martiali Doctore Parisiensi. **lib. 1. n. 20. et 21.**
Per ea Religiosus ad meliora convertitur. **lib. 2 n. 2.**
Venetiis, persecutionem patiuntur. **lib. 2. n. 22.**
Nomen Societatis Jesu ex iis est ortum. **lib. 4. n. 2.**
Ante confirmatam Societatem, et etiam postea, est decretum ut Novitii obeant Exercitia. **lib. 4. n. 3. et lib. 5. n. 21.**
Per ea mirabilis conversio mimici Sacerdotis. **lib. 4. n. 6.**
Parmæ, centum simul exercebantur. **lib. 4. n. 11.**
Prius sunt usurpanda quam legenda. **lib. 5. n. 12.**
Patavii, multis dantur. **lib. 5. n. 27.**
Coloniæ, per ea crescit numerus Sociorum. **lib. 5. n. 28.**
Exercitiorum liber a Sede Apostolica approbatur. **lib. 6. n. 1.**
Est primus liber in Societate impressus. **lib. 6. n. 2.**
Post impressionem, Gandiæ, Nostri aliique inde su-

munt materiam quotidianæ meditationis. **lib. 6. n. 14.**
Sunt pars substantialis Societatis. **lib. 6. n. 24.**
Per ea, Tybure, quidam post rixam ad mansuetudinem reducitur. **lib. 6. n. 25.**
Sunt concionum bona materia. **lib. 6. n. 19. et 27.**
Parisiis, per ea populo præcipue consulitur. **lib. 6. n. 29.**
In Indiis, locus ædificatur pro Nostrorum Exercitiis. **lib. 6. n. 30.**
Bononienses mirantur fructus Exercitiorum. **lib. 6. n. 32.**
Laudantur, Lovanii, a Ruardo Tappero. **lib. 6. n. 33.**
Per ea, Compluti, viginti simul fiunt Societatis. **lib. 7. n. 7.**
Exercitia hebdomadæ primæ juvant ad fructuose confessiones audiendas. **lib. 7. n. 15.**
Per illa satisfit duplici fini Societatis, et sunt quasi ejus anima. **lib. 7. n. 32.**

F

Faber. V. Petrus Faber.

Ferdinandus Sylva voluit scripto sibi tradi, Vallisoleti, vias precandi. **lib. 5. n 7.**

Figueroa. V. Joannes Figueroa.

Franciscus de Borgia volebat janitor esse, quando Præfectus Neapolitani Maris vacabat Exercitiis, ne quis eum interpellaret. **lib. 4. n. 28.**

Ipsius auspicio et ductu, Gandiæ, quatuordecim simul exercebantur, **lib. 5. n. 16.**

Interrumpit Exercitia evocatus a Philippo Principe **lib. 5. n. 33.**

Suadet Episcopo Carthaginensi ut Exercitia accipiat. **lib. 6. n. 13.**

Statuit a Pontifice petere Exercitiorum approbationem, et Societatem inire. **lib. 5. n. 18.**

Ipse et amita ejus quotidianam meditationem ex libro jam impresso desumunt. **lib. 6. n. 14.**

Franciscus Netus per Exercitia ad Societatem venit, monito ante in concione populo. **lib. 4. n. 31.**

Franciscus Strada facit Exercitia, et fit Societatis, **lib. 3. n. 4.**

Senis, promovet Exercitia.**lib. 4. n. 5.**

Etiam in Monte Politiano. **lib. 4. n. 6.**

Judicio Ignatii, est ad Exercitia primæ hebdomadæ danda peridoneus. **lib. 4. n. 35.**

Lovanii, exercet, adhuc Philosophus, Ruardum Tapperum Cancellarium Universitatis; Cornelium Vishavæum, qui fit Societatis; et Petrum Fabrum de Hallis, qui etiam fit Societatis. **lig. 4. n. 38.**

In Lusitania, in Urbe Portus, exercuit Henricum Goveam : unde ingentes fructus sunt secuti. **lib. 5. n. 35.**

Franciscus Villanova, judicio Ignatii, tertius erat in peritia dandi Exercitia. **lib. 4. n. 35.**

Compluti, in angusto tugurio quosdam exercet, unde initium Collegii illius. **lib. 4. n. 43.**

Per Exercitia Joannem Alvarium ducit ad Societatem. **lib. 5. n. 29.**

Alphonsum Velascha exercet, qui petit Societatem,

sed factus est Episcopus et Archi-Episcopus. **lib. 5 n. 30.**

Petrum Tablares etiam Societati jungit, qui ex Exercitiis, colapho inflicto Villanovæ, cogitaverat fugere· **lib. 5. n. 31.**

Joannem Rinconem, Toleto missum ut exploraret Societatem, exercet Compluti. **lib. 5. n. 32.**

Compluti, tempestatem contra Exercitia ortam feliciter sedat. **lib. 6. n. 12.**

Compluti, exercet Alphonsum Ramirium de Vergara; unde Collegium promotum. **lib. 6. n. 22.**

Franciscus Turrianus Canonicus exercetur; fit Societatis. Hinc initium Granatensis Collegii. **lib. 7. n. 13-14**

S. Francisci Religiosus, Septimancæ vacans Exercitiis, laudat nostram obedientiam. **lib. 7. n. 19.**

Franciscus Xaverius, prius Ignatii monita irridet. Differuntur Exercitia ejus ob lectionem Philosophicam. Deinde ardenter assumuntur. **lib. 2. n. 6.**

Ejus res gestæ Exercitiis adscribendæ. **lib. 7. n. 1.**

Frusius. V. Andreas Frusius.

Fulvius Androsius, apud Fulginium in Abbatia hospitio exceptus, aliquot movet ut Lauretum ad Exercitia veniant. **lib. 7. n. 22.**

G

Gabriel Lermæus Calvinista. Ejus de Exercitiis deliramentum. **lib. 2. n. 24.**

Garzias Cisnerius, Abbas Benedictinus, falso vocatus Auctor libri Exercitiorum. **lib. 3. n. 3.**

Garzonius. V. Guirinus Garzonius.

Gaspar Barzæus, in itinere Indico, Joanni Mendozæ Præfecto dat Exercitia cum fructu. **lib. 6. n. 15.**
Goæ, a Xaverio statutus Vicarius, a longa Exercitiorum forma incipit gubernationem. **lib. 7. n. 2.**

Gaspar Contarenus Cardinalis Exercitia descripserat cum ea acciperet ; quæ ab Hæredibus servabantur. **lib. 3. n. 1.**

Gaspar Doctius juvat Venetiis Legatum Apostolicum, ut Ignatius absolvatur a calumniis. **lib. 2. n. 25.**
Opportune Romam venit. **lib. 3. n. 14.**

Georgius Naverius. Ejus de Ignatio quem in carcere visitaverat testimonium. **lib. 1. n. 12.**

Godinus. V. Emmanuel Godinus.

Gomius. V. Antonius Gomius.

Govea. V. Henricus Govea.

Guerrerus. V. Petrus Guerrerus.

Gulæ vitium quanto ardore expugnarint primi Socii in Exercitiis. **lib. 2. n. 13.**

Gutterus Carvajalius Episcopus, Collegii Placentini fundator, per Exercitia mores suos corrigit, cum ingenti fructu. **lib. 7. n. 20.**

H

Hæreticus. V. Calvinus, et Gabriel Lermæus.

Henricus Cardinalis in Lusitania, secreto jubet inquiri an in Exercitiis visa videantur. Scitum ad id Roderici Menesii responsum. **lib. 5. n. 6.**

Henricus Govea in Lusitania, civis Portuensis, post Exercitia a Strada sibi data, familiam suam reformat, tres filios societati donat. **lib. 5. n. 35.**

Exercitia aliis tradit. **lib. 5. n. 36.**

Per Exercitia Societati peperit Ignatium Azebedium postea Martyrem. **lib. 5. n. 37.**

Hieronymus Domeneccus, Parisios Parma transiens, per Exercitia ibi Nostris se adjungit, nequidquam comitibus obstantibus. **lib. 4. n. 13.**

Parisiis, dat Exercitia. **lib. 4. n. 23.**

Ab Ignatio, ipse et Villanova ab Exercitiis dandis laudati fuere. **lib. 4. n. 35.**

Annibalem Codretum, et Benedictum Palmium per Exercitia jungit Societati, et Bononiæ varios exercet. **lib. 5. n. 14 et 15.**

Messanæ, pluribus prodest per Exercitia. **lib. 5. n. 22.**

Ibidem, Baronis filium, quem nec triremes domuerant, per Exercitia domuit. **lib. 5. n. 23.**

Hieronymus Natalis mire aversatur Exercitia. Parisiis; Ignatio et Mionæ reluctatur. In Patria sua per Epistolam S. Xaverii ex Indiis scriptam de confirmata Societate, movetur ut Romam ad Ignatium tendat; apud hunc conqueritur, quod Lainius et Domeneccus Exercitia suadeant; tandem in loco amœno a Domenecco exercetur, et valde placuit meditatio Regis et Vexillorum. Post difficilem luctam, eligit Societatem. **lib. 5. n. 1.**

Mamerti, petentibus Societatem cum delectu Exercitia dat. **lib. 6. n. 4.**

Hesius. V. Theodoricus Hesius.

Hosius. V. Jacobus Hosius.

J

Jacobus de Eguia per Exercitia fit Societatis. **lib. 2. n. 19.**

Jacobus Lainius. Ejus ardor in Exercitiis. **lib. 2. n. 8.**

Parmæ, Exercitia promovet. **lib. 4. n. 10.**

Venetiis, Andream Lipomanum per Exercitia mire Societati conciliat. **lib. 4. n. 25.**

Brixiæ, per Exercitia duodecim Sacerdotes disponit ad proximos juvandos. **lib. 4. n. 48.**

Patavii, per Exercitia novos Socios acquirit. **lib. 4. n. 46.**

Perusii, nobilitatem per Exercitia excitat ad formandum Collegium. **lib. 5. n. 25.**

Jacobus Hosius, suscepturus Exercitia, libros confert ad illa tanquam suspecta examinandum; sed, iis degustatis fit Societatis. **lib. 2. n. 20.**

Jacobus Miro, ejus testimonia et scripta de Exercitiis. **lib. 1. n. 21. lib. 4. n. 52. lib. 5. n. 9.**

Parisiis, per Exercitia ad Societatem venit. **lib. 4. n. 23.**

Quantus vir fuerit. **lib. 4. n. 23.**

Consalvum Sylveriam postea Martyrem, et Rodericum Menesium, per Exercitia jungit Societati. **lib. 4. n. 44.**

Jaius. V. Claudius Jaius.

B. Ignatius vulneratur, convertitur, incipit discernere spiritus ; in Montem Serratum tendit. **lib. 1. n. 2.**

A Diabolo primum aperte, deinde sub specie boni ac scrupulis vexatur. **lib. 1. n. 4.**

Ejus Jerosolymam profectio et reversio ; fuit doctrinæ Exercitiorum viva imago. **lib. 1. n. 7.**

Barcinone, per Exercitia quatuor Socios sibi jungit, non perseveraturos. **lib. 1. n. 10,**

Cum eisdem, Compluti, persecutionem patitur ; ipse in Carcere dat Exercitia. **lib. 1. n. 11. et 12.**

Iterum, Salmanticæ, cum Sociis in carcerem mittitur. **lib. 1. n. 15. et 16.**

Parisios tendit. **lib. 1. n. 17.**

Ibi, iterum tres Socios accipit non perseveraturos ; hinc persecutio. **lib. 1. n. 18.**

Virgarum supplicium quomodo evaserit. **lib. 1. n. 19.**

Propter præstantiam Doctrinæ Exercitiorum, judicatur dignus doctoratus insignibus. **lib. 1. n. 20 et 21.**

Parisiis Theologiæ vacans, per Exercitia novem Socios perseveraturos lucratur. Plures etiam alios per eadem ad meliora convertit. **lib. 2. n. 1.**

Industriæ quibus alios ad Exercitia inducebat. **lib. 2. n. 2 et 3.**

Cum sex primis Sociis, in Monte Martyrum vota emittit, dein in Hispaniam tendit. **lib. 2. n. 11.**

Pergit Venetias. **lib. 2. n. 5.**

Ejus Epistola de Exercitiis ad Emmanuelem Mionam. **lib. 2. n. 16.**

Venetiis, Exercitia dat variis, etiam Patritiis. **lib. 2. n. 18.**

Cum Fabro et Lainio Romam pergit. **lib. 2 n. 29.**

Romæ Gasparum Contarenum Cardinalem Exercitiis excolit. **lib. 3 n. 1.**

Teterrima Romæ persecutio contra Societatem et Exercitia ; excitatur a quodam Augustino Pedemontano, habitu ex Eremitarum disciplina, interius Lutherano, qui subornavit falsos testes, quibus etiam Cardinalis Sacri Collegii Decanus aliique credebant. Tota historia et felix exitus describitur, et quomodo Ignatius in ea se gesserit. **lib. 3. n. 5. et seqq.**

Ignatius quanti fecerit Exercitia. **lib. 4. n. 24.**

Ejus monita de Exercitiis data Lainio et Salmeroni euntibus ad Concilium Tridentinum **lib. 5. n. 2.**

Librum Exercitiorum prius usurpari quam legi volebat. **lib. 5. n. 12.**

Michaelem Turrianum ab Academia Complutensi Romam missum exercet. **lib. 5. n. 17.**

Confirmat usum menstruorum Exercitiorum in Novitiis. **lib. 5. n. 21.**

Suadet ut Messanæ per Exercitia primæ hebdomadæ, religiosæ fœminæ aliæque Matronæ juventur. **lib. 6. n. 17.**

Vult primæ heddomadæ Exercitia multis, integra paucis dari. **lib. 6. n. 31.**

Illa primæ hebdomadæ etiam conjugatis utriusque sexus. **lib. 7. n. 23.**

Ejus mors. **lib. 7. n. 24 et 27.**

Optaverat tria ante mortem, inter quæ primum est approbatio Exercitiorum. **lib. 7. n. 28.**

Ejus virtutum elogia simul sunt elogia Exercitiorum. **lib. 7. n. 29 et 30.**

Ignatius Azebedeus postea martyr, per Exercitia ad Societatem venit. **lib. 5. n. 37.**

Joannes Alphonsus Victoria, Romæ, post Exercitia, in Bacchanalibus publicum dat specimen pœnitentiæ et fit Societatis. **lib. 6. n. 16.**

Joannes Alvarius, Compluti, per Exercitia fit Societatis. **lib. 5. n. 29.**

Joannes Bapt. Viola per Exercitia fit Societatis. **lib. 4. n. 14.**

Parisiis, per Exercitia aliis prodest. **lib. 5. n. 3.**

Parisiis, per Exercitia Societati jungit Everardum Mercurianum. **lib. 6. n. 10.**

Joannes Clanonius audit Ignatii generalem confessionem. **lib. 1 n. 2.**.

Joannes Codurius a Petro Fabro per Exercitia Sociis primis jungitur. **lib. 2. n. 12.**

Joannes Dominicus de Cupis, S. R. E. Cardinalis Decanus, calumniis contra Societatem et Exercitia credit. **lib. 3. n. 9.**

Ab Ignatio reconciliatur Societati. **l. 3. n. 10.**

Joannes Martinus Silicæus, Toletanus Antistes, jubet secreto de sacerdotibus Exercitia dantibus inquiri. **lib. 5. n. 32.**

Occasione Exercitiorum, excitat magnam tempestatem, descriptam **lib. 6. n. 34**

Joannes Pelletarius, Parisiis, per Exercitia aliis prodest. **lib. 5. n. 3.**

Joannes Philippus, necdum Sacerdos, Neapoli dat Exercitia. **lib. 6. n. 9.**

Joannes Polancus, a Lainio, Romæ, per Exercitia fit Societatis. **lib. 4. n. 18.**

Pistorii, Exercitia dat Roberto Cardinali Puccio. **lib. 5. n. 13.**

Joannes Rincon a Villanova, Compluti Exercitiis excultus, redux Toletum sacerdotes alios exercet; unde orta persecutio. **lib. 5. n. 52.**

Instructor. V. Director.

Judices apud quos Ignatius accusatus fuerat extra Romam et absolutus, mirabiliter in persecutione Romana in urbem conveniunt. **lib. 3. n. 14.**

Julia Zerbina Exercitia facit, et dat fœminis. **lib. 4. n. 11.**

L

Lainius. V. Jacobus Lainius, et Marcus Lainius.

Lermeus Calvinista. V. Gabriel Lermeus.

Lauretani Canonici Exercitiis excoluntur. **lib. 7 n. 8.**

Liber Exercitiorum. V. Exercitia.

Lovanii Petrus Faber, Franciscus Strada, aliique dant Exercitia, sicut et Cornelius Vishavæus. Ruardus Tapperus, Cancellarius Academiæ, etiam exercetur, et Theodoricus Hesius, Prodecanus Leodiensis. **V. sub singulorum nomine.**

Loyola. V. Æmilianus Loyola.

Ludovicus Almeida. Chirurgus, in Indiis per Exercitia ad meliora, ac tandem ad Societatem convertitur, et Japoniæ prodest. **lib. 7. n. 21.**

Ludovicus Blosius, Abbas Liciensis, Lovanii exercetur, et suos docet eamdem meditandi formam. **l. 7. n. 3.**

Ludovicus Consalvius a Camera per Exercitia Conimbricæ fit Societatis. **lib. 5. n. 4.**

Ludovicus a Ponte per modum orandi B. Ignatii ad contemplationem pervenit. **Præfat.**

Ludovicus Strada ex Ordine S. Bernardi, de morte S. Ignatii Epistolam scripsit, in qua Exercitia vocat Novitiatum toti generi humano. **lib. 7. n. 25. et 26.**

Lusitania Infans Elisabeta, et plures, Exercitia quædam suscipiunt, et Regina quotidie utitur primo orandi modo de præceptis. **lib. 7. n. 16. et 17.**

M

Mancius Dominicanus, apud Silicæum, Antistitem Toletanum, contra Canum egregie defendit Exercitia. **lib. 7. n. 7.**

Marcus Lainius orat ne frater suus Jacobus apud nos hæreticus fiat; ipsemet per Exercitia fit Societatis; moritur et apparet fratri. **lib. 4. n. 19.**

Manresa. Ejus descriptio. **lib. 1. n. 3.**
Manresæ, morum mutatio per Exercitia. **lib. 1. n. 7.**

Marina de Escobar per modum orandi S. Ignatii ad contemplationem pervenit. **Præfat.**

Martialis Doctor Parisiensis, ob præstantiam doctrinæ Exercitiorum, offert Ignatio doctoratus insignia. **lib. 1. n. 20. et 21.**

Matthæus Ori Dominicanus Inquisitor, Parisiis Exercitia laudat et æstimat. **lib. 1. n. 18.**

Meditatio. V. Oratio.

Melchior Canus Dominicanus, Salmanticæ contra Exercitia agit; defendit illa deinde Mancius Dominicanus. **lib. 6. n. 11. et lib. 7. n. 7.**

Menesius. V. Rodericus Menesius.

Michaël Navarrensis Hispanus, ob conversum Xaverium, vult Ignatium occidere. **lib. 2. n. 7.**
Romæ, falsum testimonium dedit in tempestate illa, fuitque mulctatus exilio. **lib. 3. n. 7. 8. et 11.**

Michaël Turrianus ab Ignatio exercetur in villa; quomodo deliberans de statu vitæ cum Ignatio egerit. **lib. 5. n. 17.**

Miro. V. Jacobus Miro.

Monachæ, Parmæ, per Exercitia reformantur. **lib. 4. n. 12.**
Item in Sicilia. **lib. 6. n. 3.**
Nominatim Messane, per primam hebdomadam. **lib. 6. n. 17.**

Monachi. Muguntiæ, per Exercitia Monachus ab Apostasia et heresi liberatur. **lib. 4. n. 27.**
Conimbrice, Monachi per Exercitia ad veterem disciplinam reducuntur. **lib. 5. n. 19.**

Mons Politianus. Strada dat ibi Exercitia, per quæ quatuor Doctores movit ad mendicandum pro pauperibus. Mulieres ibidem petunt Exercitia. **lib. 4. n. 9.**

Monasterium. V. Monachi, Monachæ.

N

Natalis. V. Hieronymus Natalis.

Naverius. V. Georgius Naverius.

Neapolitani Maris Præfectus Exercitia accipit, Barcinone. **lib. 4. n. 28.**

Netus. V. Franciscus Netus.

Nicolaus Bobadilla per Exercitia fit quintus Socius. **lib. 2. n. 9.**

Nomen Societatis Jesu ab Exercitiis ortum. **lib. 4. n. 2.**

Novitii debent facere Exercitia; ita decretum ante approbatam Societatem. **lib. 4. n. 3.**
Et quidem per mensem. **lib. 5. n. 21.**

O

Olyssipone, magni fructus per Exercitia, etiam in Aula, et Socii inde augentur. **lib. 4. n. 15 et 29.**

Orare, Oratio. Modus orandi S. Ignatii adversatur Quietistis, et disponit ad contemplationem. **Præfat.**
Quomodo oratio mentalis in Ignatio inceperit. **lib. 1. n. 5.**

Ori. V. Matthæus Ori.

Ortizius. V. Petrus Ortizius.

Ottho Truchses, Augustanus Antistes, iterum Exercitia repetit. **lib. 4. n. 49.**

Oviedus. V. Andreas Oviedus.

P

Palmius. V. Benedictus Palmius.

Parisiis, per Exercitia tres Socios qui non perseverarunt acquirit; inde persecutio. **lib. 1. n. 18.**

Ibidem Jacobus Miro per Exercitia fit societatis. **lib. 4. n. 23.**

Parma. Ibi, Faber et Lainius Exercitia promovent. **lib. 4. n. 10.**

Ibi cœnobium per Exercitia reformatur. **lib. 4. n. 12.**

Paschasius Broët a Fabro per Exercitia sociis adjungitur. **lib. 2. n. 12.**

Dat Senis Exercitia. **lib. 4. n. 5.**

Monte Politiano, Cardinalis Sancticrucii germano fratri, ejusque conjugi, Exercitia dat, et etiam Cardinalis sororibus. **lib. 5. n. 24.**

Viros et fœminas, inter has amplius triginta matronas, exercet. Aliqui ad Societatem, plures ad religiosum statum abibant. Scandala Parochorum per Exercitia sustulit. **lib. 6. n. 5 et 7.**

Item Parisiis. **lib. 7. n. 4.**

Paulus Achilles per Exercitia fit societatis. **lib. 4. n. 14.**

Parisiis aliis dat Exercitia: quorum unus, clam parentibus, se nobis jungit. **lib. 4. n. 42.**

Ibid., Augustinianum concionatorem ad sanctius vitæ genus permovit. **lib. 4. n. 60.**

Pedroccius. V. Thomas Pedroccius.

Pelletarius. V. Joannes Pelletarius.

Persecutio contra Exercitia. Complutensis prima. **lib. 1. n. 11 et 12.**

Salmenticensis prima. **lib. 1. n. 13 et seqq.**

Parisiensis. **lib. 1. n. 18 et 19.**

Veneta. **lib. 2. n. 22 et 25.**

Romana teterrima. **lib. 3. n. 5 et seqq.**

Parmensis et Placentina. **lib. 4. n. 33.**

Lusitana. **lib. 5. n. 6.**

Toletana prima. **lib. 5. n. 32.**
Salmenticensis secunda. **lib. 6. n. 11.**
Complutensis secunda. **lib. 6. n. 12.**
Toletana secunda. **lib. 6. n. 34.**
Toletana tertia. **lib. 7. n. 5.**

Petrus Canisius per Exercitia fit societatis, et per eadem multum prodest Germaniæ. **lib. 4. n. 37.**

Petrus Contarenus. qui fuit Episcopus Paphiensis, Venetiis Exercitia accipit. **lib. 2. n. 21.**

Petrus Faber, primus socius, quomodo paulatim dispositus fuerit ad Exercitia. **lib. 2. n. 4.**
Ejus ardor in exercitiis. **lib. 2. n. 5.**
Profecto Ignatio in Hispaniam, ad sex socios per exercitia adjungit Claudium Jajum, Joannem Codurium, et Paschasium Broëtum. **lib. 2. n. 12.**
Parmæ Exercitia promovet. **lib 4. n. 10**
Item, Vormatiæ et Ratisbonæ, multis in Aula Cæsarea. **lib. 4. n. 16 et 21.**
Spiræ, Vicarium Episcopi exercet, inde fructus ingens contra concubinas. **lib. 4. n. 26.**
Moguntiæ, per Exercitia Monachum ab Apostasia et hæresi reducit. **lib. 4. n. 27.**
Parmæ Placentiæque, cum Lainio statuunt Sacerdotes per Exercitia bene dispositos, qui per triennium Exercitia tradiderunt ; inde persecutio. **lib. 4. n. 33.**
Moguntiæ, duobus Episcopis aliisque primariis dat Exercitia. **lib. 4. n. 34.**
Judicio Ignatii, primus est in peritia tradendi Exercitia. **lib. 4. n. 35. et lib. 2. n. 14.**
Quemdam ad se Colonia missum per Exercitia societati jungit, Petrum item Canisium ; et Lovanii plures exercet, inter hos Theodoricum Hesium Leodiensem

prodecanum, cui suadet ut potius Deo serviat extra societatem; socios inde in Lusitaniam ituros optat prius Exercitiis armare; per conciones multos ad Exercitia allicit, et Augustano Antistiti iterum Exercitia dat. **lib. 4. n. 36, 37, 40, 41, 47, 48 et 49.**

Madriti, Caroli Cæsaris filias meditationibus excolit. Vallisoleti Episcopos exercet, aliosque; ex his delectum habet sociorum, inde initia istius Collegii. **lib. 5. n. 8 et 9.**

Petrus Guerrerus, Archiepicopus Granatensis populum ad Exercitia excitat exemplo Christi, secedentis ad desertum. **lib. 7. n. 12.**

Petrus Ortizius. Eo suadente citatur Parisiis Ignatius ad Inquisitorem. **lib. 1. n. 18.**

Cæsaris negotia Romæ agens, cum Ignatio in montem Cassinatem ad quadraginta dierum Exercitia secedit; venisset in societatem, nisi Ignatius dissuasisset; ejus de Exercitiis judicium, **lib. 3. n. 2.**

Petrus Puteus, Canonicus, post exercitia, ædes et hortum dat et Ædem addicit, Conchensis Collegii initia. **lib. 7. n. 10 et 11.**

Petrus Tablares in Exercitiis parabat Villanovæ colaphum; at superata hac tentatione fit societatis. **lib. 5. n. 31.**

Ipse exercet Petrum Puteum Conchæ Canonicum, qui fit Societatis. **lib. 7. n. 10.**

Polancus. V. Joannes Polancus.

Pontifex. Confirmans Societatem, diserte Exercitia exprimit. **lib. 4. n. 17.**

Item. **lib. 6. n. 23.**

Sacerdotes Parmæ Exercitia tradentes defendit contra calumnias. **lib. 4. n. 33.**

Approbat librum Exercitiorum. **lib. 6. n. 1.**
Aliquos Compluti obmurmurantes contra societatem et Exercitia, Romam citari jubet. **lib. 6. n. 12.**
Vult Toleti atrox edictum contra societatem ab Antistite revocari. **lib. n. 6. 34.**

Puccius Cardinalis. V. Robertus Card. Puccius.

Q

Quietistæ. Modus orandi B. Ignatii iis adversatur: **præfat.**

Quirinus Garzonius, apud quem Ignatius cum Fabro et Lainio Romæ aliquamdiu hospitio excepti fuerunt, apud Cardinalem de Cupis societatem defendit **lib. 3. n. 9 et 10.**

R

Ramirius de Verga. V. Alphonsus Ramirius de Vergara.

Ratisbona. Ibi in Aula Cæsaris multi a Fabro exercentur cum fructu. **lib. 4. n. 21.**
Ibidem etiam Canonici exercentur. **lib. 4. n. 28.**

Regina Lusitaniæ quotidie utitur primo orandi modo de præceptis. **lib. 7. n. 17.**

Regulæ de scrupulis et electionis, unde ortæ. **lib. 1. n. 4 et 8.**

Rincon. V. Joannes Rincon.

Robertus Card. Puccius Pistorii Exercitia accipit a Polanco. **lib. 5. n. 13.**

Rodericius. V. Simon Rodericius.

Rodericus Menesius per exercitia fit Societatis. **lib. 4. n. 44.**
Examinatur an in Exercitiis visa vidisset; scitum ejus responsum. **lib. 5. n. 6.**

Ruardus Tapperus Cancellarius Academiæ Lovanii a Strada etiamnum Philosopho Exercitia accipit. **lib. 4. n. 38.**
Societatem et Exercitia laudat. **lib. 6. n. 33.**

S

Sa. V. Emmanuel Sa.

Salmatica, gravis ibi tempestas contra Exercitia. **lib. 1. n. 13.**
Iterum alia. **lib. 6. n. 11.**

Salmeron. V. Alphonsus Salmeron.

Senis, extra urbem pro Exercitiis conducunt ædes; sed consilium mutatur. **lib. 4. n. 5.**

Silicæus. V. Joannes Martinus Silicæus.

Simon Rodericius, sextus socius, ejus ardor in Exercitiis. **lib. 2. n. 10.**
Senis dat Exercitia. **lib. 4. n. 5.**
Etiam Olissipone Aulicis et principibus illa dat, et augentur inde socii. **lib. 4. n. 15.**
Conimbricam illo reverso, tam patens fructus fuit Exercitiorum, ut multi dicerent: *musto pleni sunt.* **lib. 5. n. 5.**

Societas ex exercitiis orta. **lib. 2. n. 14.**

Romæ se opponit concionatori Lutherano. **lib. 3. n. 6.**
Nomen habet ab Exercitiis. **lib. 4. n. 2.**

Socii S. Ignatii Parisiis Venetias ad ipsum veniunt; inde aliqui Romam, qui redeunt; et omnes Venetiis Sacerdotes fiunt; in itinere exercent quæ in Exercitiis meditati erant; per Exercitia quadraginta dierum sese ad primitias parant; unde variis locis multi fructus oriuntur; denique omnes Romæ conveniunt. **lib. 2. n. 26, 27, 28 et 29.**

Spira. Ibi Episcopi Vicarius cum singulari fructu Exercitia obivit. **lib. 4. n. 26.**

Spiritus malus. V. Diabolus.

Spirituum discretio. V. Discretio spirituum.

Stephanus de Eguia, frater Jacobi, per Exercitia fit Societatis. **lib. 2. n. 19.**

Strada. V. Franciscus Strada.

Strada. ex ordine S. Bernardi. V. Ludovicus Strada.

Sylva. V. Ferdinandus Sylva.

Sylveria. V. Consalvus Sylveria.

Sylvester Landinus Fulginii per Exercitia mores corrigit. **lib. 6. n. 8.**
In Ætruriæ finibus, per Exercitia Parochos ad zelum animarum et Societatis amorem excitat. **lib. 6. n. 18.**
Concionum materiam sumit ex prima hebdomada, cum magno fructu. **lib. 6. n. 19.**
Pergit ad confessiones audiendas adhibere Sacerdotes Exercitiis a se excultos. **lib. 6. n. 26.**

T

Tablares. V. Petrus Tablares.

Tapperus. V. Ruardus Tapperus.

Testes falsi in persecutione Romana, et infelix eorum exitus. **lib. 3. n. 7 et seqq.**

Theodoricus Hesius, Leodiensis prodecanus, Adriano Pontifici a secretis, a confessionibus, etc., inter Exercitia totum se Fabro permittit, qui suadet ut in suo munere Deo et proximis serviat. **lib. 4. n. 41.**

Thomas Pedroccius: animatus a Silicæo Toletano Antistite et a Melchiore Cano, Exercitiis bellum indicit; notat ex libro Exercitiorum, quæ deferat ad censuram. **lib. 7. n. 5 et 6.**

Torres. V. Bartholomæus Torres.

Truchses. V. Otto Truchses.

Turrianus. V. Michael Turrianus, Franciscus Turrianus, Cosmus Turrianus.

V

Velascha. V. Alphonsus Velascha.

Venetiis. Exercitia dantur Patritiis aliisque, etiam Petro Contareno, qui fuit Episcopus. Oritur persecutio, ejus bonus exitus. **lib. 2. n. 18 seqq.**
Ibidem, Andreas Lipomanus singulari modo per Exercitia conciliatur Societati. **lib. 4. n. 25.**

Victoria. V. Joannes Alphonsus Victoria.
Viola. V. Joannes Bapt. Viola.
Vishavæus. V. Cornelius Vishavæus.
Vormatiæ dantur Exercitia. **lib. 4. n. 16.**

X

Xaverius. V. Franciscus Xaverius.

Z

Zerbinæ. V. Julia Zerbina.

FINIS

ADDITA AD SECUNDAM EDITIONEM

Editioni secundæ Historiæ Exercitiorum (*) non alius est titulus ac primæ. Porro inter unam atque alteram nihil fere aliud reperias discrepare, nisi duo quæ sequuntur; quæ quidem hic subjunximus, tum ad pleniorem operis integritatem, tum in eorum gratiam quibus cordi est Exercitiorum auctoritas et fortuna.

I. — NUNCUPATIO OPERIS

IGNATIO LOYOLÆ SOCIETATIS JESU

Conditori Sanctissimo

Nemo est unus, Ignati Beatissime, qui pulchre non videat, plurimum, vel hoc nomine, tibi deberi, quod Spiritualia primus Exercitia repereris memoriæque prodideris. Nostra quidem tempestate bonorum omnium

(*) Ex typographia Komarek. Romæ. MDCCXXII., in-12, pp. 264, omiss. Litter. Dedicat. et Præfat.

consensio declaravit, nihil esse quod magis, vel ad virtutem animis inserendam, vel ad vitia evellenda, facere videatur. Multa sane tua virtus excogitavit, neque pauca perfecit. Religioni præsidio fuit; impietatem cladibus attrivit; mores hominum qua imbuit, qua coercuit; lectaque manu, ea perduxit ad finem, quorum ex æquo perennis fama viget, atque utilitas. Ejusmodi tamen omnia, quæcumque sunt, quæ certe maxima sunt, (liceat ea dicere, quæ sentimus), propria minime forent ac diuturna, si minus ipse perennitati, relicto posteris Exercitiorum libello, consuluisses.

Miratæ sæpenumero fuimus, neque injuria, quid esset cur tam frequentes e tua Familia prodirent sanctissimi, quique nullis ad commune bonum laboribus parcerent; atque illud præcipui perspeximus, nihil e veteri disciplina remitti, quin, altero jam vertente sæculo, eam florere societatem, ut ipse conditor legum nihil desideres, tibique potius gaudeas eique gratuleris. Hæc nobis atque adeo mortalium plurimis mira accidebant. Verum sublata denique est omnis admiratio liquidoque intelleximus cui debeat societas id acceptum referre; certo scilicet dierum spatio, quo se quotannis eripit quisque alienis curis totumque Exercitiis involvit. Hinc firmior emicat virtus, ac veluti posita senectute, juvenescit.

Atque utinam hic liceret ire per singula, quæ in tua Societate laudant omnes atque admirantur. Gestirent animi ea recensere, quæ ubique gentium præclare gessit ad hanc diem: triumpharet oratio in recolendis muneribus quæ summa cum laude sustinuit. Tua loqueretur Hispania extremique hominum Indi, orbisque terrarum universus, virtutesque commemoraret, quibus illa maxime efflorescit. Verum ea persequi pene foret infi-

nitum : mirari potius libeat Exercitia eorumque vim prope divinam, ex quibus id omne proficiscitur ac dimanat.

Quæ cum ita sint, neque abs re fecimus, neque inpudenter, cum in spem venimus tibi fore pergratum, si aurei divinique libelli, tuorum videlicet Exercitiorum Historiam, typis excuderemus. Pauca quidem supererant exemplaria atque ea minimi parabilia : ex quo fiebat, ut fructus longe minor quam par esset perciperetur. Huic inopiæ libenter occurrimus, tuisque pedibus affusæ, qualecumque vectigal oblatum volumus ac solutum. Habe igitur hoc libelli, nosque pariter, quæ tua facilitas est, in tua fide esse velis atque tutela. Illud etiam, quantum facere enitique possumus, efflagitamus, ut Societatem, quique illi præest, sospitem præstes, atque fortunes.

Humillimæ Famulæ

L. ET M. V. KOMAREK

II. — FACULTATES IMPRIMENDI.

EDITIONIS SECUNDÆ PERMISSIONES IMPRIMENDI.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Mag.

Nuncius BACCARIUS Episcopus Bojanen. Vices gerens.

Reimprimatur.

Fr. Joachim PUCCI Magister et Socius Reverendissimi Patris Sac. Palatii Apostol. Ord. Præd.

EXCERPTA QUÆDAM

EX OPERE PATRUM

BOLLANDISTARUM

DOCUMENTUM PRIMUM
AUCTORE PINIO

Illa subjecimus ex Pinio, omnino prout sunt (*). Nemo autem miretur nos vitam S. Ignatii quasi altius repetere; quædam enim ad vitam Beati nostri, dum apud Montem Serratum moraretur, spectantia, multum conferunt ad originem atque authenticitatem Exercitiorum.

§ IV. — Lectio sacra; Mons serratus; Sancti ibidem confessarius, ac mora; imago et inscriptio.

Vita Christi, ab Ignatio lecta, fertur fuisse composita a Landulfo Cartusiano.

Quomodo Sanctus gravissime vulneratus, ad paternam domum delatus, et miro modo pristinæ ibidem valetudini sit restitutus, intelliges ex Vitæ scriptoribus: e quibus etiam constat, lectionem sacram Vitæ Christi ac Sanctorum, divino consilio ipsi oblatam, primos melioris vitæ igniculos in

(*) Acta Sanctorum (Palmé 1868), Julii t. 7, p. 425 et seqq, nº 28 ad 103.

animo ejus accendisse, adeo paulatim fortiter ac suaviter ardentes, ut totus in alium mutatus virum, militiæ profanæ nuntium remittere, atque ad sacram transire, fixum habuerit. Librum porro de Vita Christi, quem legerit, vult Bartolus, fuisse Landolphi Cartusiani: de quo in istius Ordinis Bibliotheca, auctore F. Theodoro Petreio, ejusdem apud Ubios familiæ professo, sic dicitur: Ludolphus Saxo... edidit... magnæ utilitatis pietatisque opera: in quibus comprimis est Vita Domini nostri Jesu Christi, quam ex quatuor Evangelistarum textu conflavit ac lucidissimis non minus quam devotissimis commentariis explanavit. *Floruit circa annum Domini 1330 sicut ibidem notatur. Et vero quia tam avide hoc Ludolphi opus fuit exceptum, uti ex frequenti ejusdem impressione liquet, de qua ibidem est mentio, facile potuit continere, ut Hispanice redditum ad manus* S. Ignatii *pervenerit. An vero reipsa id factum sit, viderit Bartolus, qui id asserit.*

Iter Navarreto in Montem serratum;

29. *Inter hæc* Ignatius *simul animo et corpore paulatim convalescens, et cœlestibus stimulis acerrime compunctus, at necdum satis per vires idoneus ad arripiendum iter quo decreverat de cognatione ac paterna domo exire, domi sese tantisper continuit, sanctis occupationibus cœlestes inter favores pie indulgens; donec tandem ad sacram, quam meditabatur, expeditionem satis utcumque jam comparatus, Martino Garcia germano fratre natu maximo frustra eum ab instituto absterrere satagente, Navarretum contendit; ubi nummos* nonnullos... in instaurationem imaginis cujusdam beatissimæ Virginis, quæ male erat composita,

insumpsit; *juxta Vitam ex ore ipsiusmet Sancti exceptam, et post a nobis excudendam. Indeque profectus, ante omnia celeberrimam Virginis Matris, cujus tutelæ se totum commiserat, et quam jam tum singulari apparitione admodum sibi propitiam ac beneficam senserat, religionis causa ædem adire institit, quæ in Monte serrato magno cum adventantium concursu, incolebatur ab instituti Benedictini monachis. Situs autem est ille locus in Catalonia ; de quo plura cognoscere, operæ pretium videtur: id quod fiet ex epistola autographa nostri R. P. Petri Cant, missionis navalis, prout ab alio eidem epistolæ adscriptum lego, superioris, ad R. P. Laurentium van Schoone, suum utique et nostræ provinciæ Flandrobelgicæ tum temporis moderatorem data ex navi in portu Barcinonensi 2 Augusti anno 1674 ; e qua delibo sequentia :*

30. Tandem pervenimus ad vota votorum hoc est, ad illam Divam, ad cujus aram exsoluto voto, et appenso gladio sanctus Pater noster concepit illum spiritum, cujus fœcunda proles est, quam mox peperit Societatem. Ad eamdem aram postridie sacrum celebravimus ambo ; quanto teneritudinis sensu, Deus novit. Integri voluminis opus foret, describere majestatem Divæ, templi ac conventus, qui monachorum est Ordinis S. Benedicti, amplitudinem et magnificentiam, sacrarii thesauros immensos, et vere regios, utpote a regibus variis collatos; ipsam etiam naturam ac situm montis. Pro brevitate epistolari solum dicam, templum totum ab imo in altum inauratum esse perquam concinne; ante Virginis aram diu noctuque inextincta flamma perenniter collucere argenteas cujus magnificentia,

lampades majores minoresque quinque supra septuaginta: thesauros reconditos in sacrario æquipollere millionibus aliquot, et multo majores esse iis, quos quondam Compostellæ vidi, qui tamen maximi sunt, in sanctuario divi Jacobi Apostoli.

sittus, ac natura loci describitur.

31. Mons ipse amœnitate sua, celsitudine et figura mirabilis merito posset naturæ miraculis accenseri; cum totus sit ex viva petra, totus tamen plantis fragrantis odoris amœnisque arboribus semper virescit, non alia, quam arte naturæ. Cum adeo in sublimi conventus positus sit ut nubes visæ sint velut scabellum pedum nostrorum, et omnem subjectæ terræ conspectum penitus nobis eriperent; mons tamen a pede conventus assurgit in plurimas cuspides, quarum unaquæque facile superat altissimam quamque Belgii turrim; ut a similitudine serræ, Mons non immerito dicatur serratus. Illas ipsas serras seu cuspides quoque conscendimus, quod non audent omnes; qui subeundum est per augustissimos et præcipites gradus, qui in ipsa rupe excisi sunt: et quod mirabile nobis visum est, cum cuspides istæ ex inferiori loco videantur acutissimæ, superne exspatiantur in amœnissimas planities, quas justis intervallis incolunt cum sacellis et domibus suis quindecim ejusdem Ordinis S. Benedicti eremicolæ. *Hactemus Cantius de isto loco.*

Quo ætatis anno ibi fuerit; quænam ibi fecerit,

32. *Ceterum quæ ibidem a nostro Sancto gesta sunt, dabunt Ribadeneira lib.* I, *cap.* IV, *antiquæ capitum divisionis (quæ notatur etiam ad marginem nostræ capitum partionibus novæ ;) et Maffeius. Tempus novæ militiæ, quam suspensis ad Virginis aram profanis armis noctu excubans, ibi*

incepit, ab ipsis innectitur anno 1522; a quo si retrocedas ad annum ejus natalem 1491, consequens est, ut quando in Monte serrato fuit, numeraverit annum ætatis circiter trigesimum primum: non autem vigesimum sextum, quem Dieghus Payva Andradius Orthodoxarum explicationum lib. I, *et Surius supra citatus mendose notarunt; qui ultimus alterius item erroris convincitur, dum* annum integrum, et eo ampliis ex morbo decumbenti *attribuit Sancto: etenim cum in arce Pampelonensi prostratus fuerit die 20 Maii, ex dictis num. 25, anno 1521; cumque anno proxime sequenti 1522, et nocte quidem illa tota, cui dies festus angelicæ salutationis ad 25 Martii illuxit, suspensis armis famosas in Monte serrato excubias instituerit; ut videsis apud Ribadeneiram ac Maffeium; consequens est, ut anno integro, nedum eo amplius, in paterna domo, aut extra illam ex morbo non decuberit. Porro ne adeo nobilis ac novæ pervigilationis genus prorsus memorabile perpetua in ipso loco, ubi quondam contigerat, frustraretur memoria; dictorum monachorum abbas eam posteris commendari voluit, affixa ad latus altaris lamina marmorea cum hac epigraphe, uti refert Bartolus lib. I, num. 10:*

notata sunt in inscriptione.

33. Beatus Ignatius Loiola, hic multa prece fletuque Deo se Virginique devovit. Hic tanquam armis spiritualibus, sacco se muniens, pernoctavit. Hinc ad Societatem Jesu fundandam prodiit anno 1522. Frater Laurentius Nieto abbas dicavit anno 1603. *De sacello ibidem loci in ecclesia nova, in honorem* S. Ignatii *dedicato, nec non picturis, res a Sancto in Monte serrato gestas repræsentantibus, adornato*

agit Garcia lib. I, *cap.* v; *ubi et exponit, quo eventu factum sit, ut sacellum, quod alteri postea Sanctæ erat destinatum,* S. Ignatii, *cujus fuerat antea, deinceps esse perrexerit. Ibidem etiam fit mentio antiquæ ac singularis fraternæ communicationis, quæ fuerit Societati Jesu cum ista domo. Sed alia, quæ Sanctus in Monte serrato gessit, nos modo vocant.*

Illius quo ibidem a sacris confessionibus usus est Ignatius,

34. Ibi, *inquit Ribadeneira,* optimo confessario totius vitæ suæ crimina per triduum ex scripto confessus est. *Idem auctor in Compendio Vitæ a Quartemontio latinitate donatæ dicit, eum* natione Gallum *fuisse, nomine* Joannem Clanomen, virum sanctitatis laude præstantem ac celebrem. *Sed non una eademque viri hujus nomen exprimendi forma: nam apud Ribadeneiram in Vita Hispanica Matritensi anni 1594, et apud Bartolum scribitur* Chanones; *apud Argaizium paulo post citandum est* Xanones; *apud Garciam denique* Chacones. *At forte non erit ingratum, viri obiter a Ribadeneira laudati virtutes ac merita paulo distinctius cognoscere. Accipe igitur elogium ejus, quod ex tabulario Monserratensis cœnobii depromptum, Bartolus lib.* I, *num.* 10 *recenset:* Fuerat is, *inquit,* Mirapicensis olim ecclesiæ vicarius, qui veneraturus Deiparam, cum se aliquando illuc contulisset, religiosis captus monachorum exemplis et innocentia, valedixerat seculo; abdicataque a se officii dignitate et facultatibus, monasticam vitam professus fuerat anno ætatis trigesimo altero: inde ad octavum et octogesimum, eodem quo primum ardore, in eo ordine duravit. Valens aut ægrotus, juvenis aut senex decrepitus carnes attigit numquam, et ex diurno quotidie demenso, partim in pauperes tertiam divisit.

35. Vestitus illi vilissimus, promissum ad genua sub veste cilicium ; noctes, demptis paucis ad quietem horis, precando pervigiles partim cum ceteris in choro, partim in cellulæ secreto. Morbis diuturnis et gravibus viri patientiam excoxit Deus, annis præsertim decrepitis, qui vel uni pro gravi morbo sunt: in iis dolores æquissimo semper animo excepit, semper Dei laude et gratiis rependit. Demissione vero sui et obedientia tam sublimi fuit, totque aliis eminens dotibus, ut ad instaurandam Ordinis disciplinam, multis per Hispaniam et Lusitaniam domibus exemplar auctorque fuerit. *Prospere itaque ac feliciter, ita rem moderante divina providentia, accidit, ut* S. Ignatius *in hujusmodi conscientiæ suæ arbitrum inciderit ; cujus præstantissimi cœnobitæ laudes recensuisse paucis, haud nos pœnitet, non immemores utique quam præclare is tunc de sancto Patre nostro meritus fuerit,* primus,*ut cum Quartemontio loquamur,* in cujus veluti patris ac magistri sinum consilia sua intimasque animi cognitationes effunderet. elogium.

36. *Quod exiguam temporis moram Sanctus ibi traxerit, indicio est modus narrandi ea, quæ isto loco gessit, apud Ribadeneiram, Maffeium atque Orlandinum. Vita ex ore Sancti conscripta a Ludovico Consalvo, num.* 18 Pridie, *ait,* Annuntiationis beatissimæ Mariæ anno 1522 noctu... in genua ut procumberet ante altare beatissimæ Dei genitricis profectus est, ac... noctem omnem transegit. Adventante die, sumpta sacra Eucharistia, abiit, ne agnosceretur. Ibat autem non recto itinere quod Barcinomem ducit.... sed deflexo, quo in oppidum quoddam, quod Manresæ dicitur, delatus est, ubi In Monte serrato.

moram facere statuebat *etc. Inter documenta nostri archivi Romani de* S. Ignatio *huc missa occurrit exemplum Ms., continens res quasdam, a P. Araozio dictas circa sanctum Patrem, quæ in ejus Vita desiderari dicuntur, et ab Araozii socio referri. In dicto itaque Ms. habemus, quod paulo postquam Sanctus pervenisset ad Montem serratum, secesserit in aliquam speluncam per istos montes quæsitam ; ubi et nonnulla ipsi delitescere volenti accidisse scribuntur. Sed illa non ausim probare, quia jamjam dictis non consona. Ceterum non potest commoratio Monserratensis ad minus coarctari spatium temporis, quam tridui ; cum triduum ibidem impenderit eluendis per generalem totius anteactæ vitæ concessionem maculis, prout ex biographis constat. Quot vero diebus ibidem loci substiterit, fatemur, nobis nihil in promptu esse, unde illud determinemus ; quidquid Garibaius scribat, quod novenam ibi fecerit. Ceterum commorationis in Monte serrato tempus extendere ad triennium, quidnam est, si hoc non sit, evertere puncta fixa chronologica earum rerum, quæ post hanc commorationem subsecutæ sunt ?*

brevissimo tempore mansit.

37. *Etenim cum post discessum e Monte serrato* annum unum plus minus Manresæ transegerit, *teste Ribadeneira lib.* I, *cap.* x, *seu uti habemus ex Mafferio lib.* I; *cap.* II, inter hæc anni fere spatium exegerit; *cumque, sicut hic notat cap.* XII, sub initium anni 1523... Minoressa profectus venerit Barcinonem, ut in Italiam ex eo loco trajiceret; et, *prout ille refert citato cap.* x, Romam... ad diem Dominicum Palmarum anni 1523 venerit; *ne dicam quod* 14 die mensis Julii, anni Domini 1523,

Hierosolymam versus, Venetiis solvarit, *ex Ribadeneira capite* II *; annoque* 1524 *redux*, *Barcinone studia litterarum sit aggressus*, *ex cap.* XII *; consequens est, ut hæc omnia, annis suis circumscripta*, *componi nequeant cum illo trienno; e quo subsidium accessitur ad eripiendum* S. Ignatio *librum Exercitiorum*, *quem apud Minoressanos composuit*, *eumque alteri attribuendum. At somnia ista nobis exsufflanda erunt inferius*, *quando ex proprio instituto de ista re agemus*, *et librum istum vero suo Auctori vindicabimus*, *contra Argaizium in Historia Dominæ nostræ Monserratensis cap.* XLVI, *num.* 9, *aliosque, qui vel eum alteri adscripserunt*, *vel de modo, quo compositus ille a sancto Patre nostro fuit, aliter senserunt*, *quam par est.*

Describitur, quo usus ibidem indumento fuerit Sanctus,

38. *De amictu viatorio*, *quem*, *priusquam pervenisset ad Montem serratum, sibi comparavit, quo indutus excubias egit ibidem pernox ante aram Virginis Matris; quo inde discessit, quo denique Minoressam ingressus est*, *graphice tractant Ribabeneira lib.* I, *cap.* III et IV ; *ac Maffeius lib.* I, *cap.* III, IV et V ; *quibus adde Orlandinum lib.* I, *num.* 18, *cujus verba cur huc potius transcribam, quam duorum istorum mox intelliges :* Se, *inquit,* habitu induit quem prope Montem serratum nuper ex itinere comparaverat. Is erat talaris tunica e rudi sacco, funis pro cingulo, calcei e sparto, sed alterum tantum pedem ex veteri plaga imbeciliorem texit: alterum prorsus nudum; nudum item reliquit verticem : suspendit ab latere cucurbitam in usam aquæ, et viatorium baculum, peregrinorum gestamen, manu prehendit. *Hoc in habitu eum sacro illo pervigilio functum fuisse ; in hoc Mino-*

ressam versus discessise e Monte serrato ; in hoc denique eum Minoressam ingressum comparuisse, ex num. 18 *designato ac duobus proxime sequentibus habetur. Argaizius loco citato vult, Orlandinum repugnare Ribadeneiræ in eo, quod duplicem tunicam Sancto det. Ribadeneira unicam ei dante. Probare id conatur ex his Orlandini verbis :* Indumentum Ignatii duplex amiculum fuit e crasso panno, coloris cinerei ruffescentis, et ex eodem confectum pileolum.

contra nonnullorum somnia,

39. *Sed multis peccat Argaizius. Nam* 1. *Orlandini textum de indumento hic controverso, et unico jam dedimus.* 2. *Verba, quæ mox obtrudebat Argaizius, misere truncata sunt ex Orlandini libro I, num.* 30 ; *quæ si incorrupta et integra ex ipso fonte transcripsit, facile potuit videre, ibi agi de indumento, quod ab hoc, de quo disputamus, toto cœlo diversum fuisse, clamant rerum adjuncta. Etenim Orlandinus de Sancto Manresa discessuro agens,* Utebatur, *inquit*, jam valetudine certiore ; sed quia gravis languor resederat stomachi, et hiems perfrigida sæviebat, duplex amiculum e crasso panno, coloris cinerei ruffescentis, amicorum impulsu corpori admovit, et ex eodem confectum pileolum capiti operimentum imposuit. Tum Barcinonem discessit. *De duplici Sancti indumento Vita Consalviana num.* 34. *consuli etiam potest.* 3. *Duplex illud indumentum ideo placet Argaizio, ut* S. Ignatium *transformet in Benedictinum ordinis inferioris.* 4. *Duos etiam in scenam produxit confessarios, Fornerum utique et Xanonesium, quibus obedivisse, postquam cum illis communicaverat, Sanctum credit, seu potius somniat, atque habitum as-*

sumpsisse qui religiosi potius fuerit, quam peregrini : nulla certe veritatis umbra. Nam tamesti plus satis hæc fabella ex dictis sit confutata, placet tamen hisce supperaddere coronidis loco sequentia. Vita a P. Ludovico Consalvo ex ore S. Ignatii *excepta num.* 16 *sic narrat :* Itaque telam emit ex ea, qua sacci conficientur, non admodum textam, et multis aculeis asperam : ac statim vestem sibi ex ea usque ad pedes demissam fieri præcepit. *Et mox ibid. subdit Vita, calceos ex sparto, quorum unum dumtaxat gestavit, baculum peregrinorum insigne, et cucurbitulam. Quænam hic species habitus religiosi, nedum Donati Benedictini ?*

40. *Bucelinus in Monologio suo Benedictino ad diem* 31 *Julii, commentitiam hanc sancti Patris nostri metamorphosim, ita ante Argaizium descripserat :* Christo militaturus novum hominem et habitum in monasterio B. Matris Admirabilis Monserratensis apud nostros assumpsit, ibique Oblatorum, quos Hispani Donatos vocant, religioso schemate donatus *etc. Apage itaque pura puta hujusmodi somnia ; quibus si duo isti auctores (ne tertium illis addam, Constantinum Cajetanum, ab Argaizio citatum) in animum induxerint suum, conciliare honorem sacro indumento religiosorum Ordinis Benedictini ; sciant, neque sanctum patriarcham Benedictum, neque Ordinem ejus rebus falsis condecorandos esse, veris aliunde laudibus spectatissimos.*

in Donatum Benedictinum ridicule et infundate eum transformantium.

41. *Ex simili fabularum figlina prodiit commentum illud, de quo agitur in Responsionibus P. Danielis Papebrochii ad reverendum admodum patrem Sebastianum a S. Paulo, parte II, inter*

An professus fuerit

ea ; quibus respondetur ad articulum 15 § 3, *num.* 25 ; *ubi ex quodam auctore refertur,* nonnullos sustinere, S. Ignatium vitæ suæ perfectionem et sanctitatem hausisse ex tertia Regula S. Francisci, illiusque habitum suscepisse, professionem emisisse, et justa illam aliquo tempore vixisse. *Sed hujusmodi nugæ neglectu potius et commiseratione, quam refutatione dignæ sunt. Consuli interim possunt ea, quæ ibidem a num.* 26 *respondentur. Ecce autem commentum illud non ita pridem denuo innovatur in libello Germanico, cui titulus :* Regula tertii Ordinis, Pœnitentium dicti, quem Seraphicus Patriarcha S. Franciscus ex speciali instinctu Spiritus sancti composuit *etc.*, cum aliis ad hujus Ordinis notitiam spectantibus compilata per quemdam ex reformata provincia Austriaca pauperum Franciscanorum. *Prodiit in lucem dictus libellus Viennæ apud Joannem Baptistam Schilgen, Universitatis typographum anno* 1726 ; *sicut adscriptum invenio fragmento, quod ex prædicto libro extractum est.*

tertiam regulam S. Francisci,

42. *Sed cum fragmentum illud tametsi parvum, magnis tamen et crassis falsitatibus scateat, nullam in hac re meretur fidem. Falsum quippe est primo, ex* S. Ignatii *scipione, aspera veste, ac fune, quo tunc erat præcinctus, sequi, ut fuerit Tertiarius Ordinis S. Francisci ; nam sicut inde, secundum mox dicta de Donato Benedictino, habitum Benedictinum non extundes ; sic etiam non extundes indidem Tertiarium S. Francisci. Falsum est secundo : In ecclesia Deiparæ Montis serrati sacerdoti Franciscano totius anteactæ vitæ noxas generali exomologesi aperuisse : nam quis ibidem ipsi a*

sacris confessionibus fuerit, supra dixi. Falsum est tertio, specum Manresanam petiisse ; ubi ad normam primorum Tertiariorum vestitus, iisdem cohabitans aliquamdiu delituerit. Ubi fuerit Manresæ, dabit Ribadeneira lib. I, *cap.* V *et* VI. *Falsum est quarto, quod factam subinde professionem in manibus sui confessarii Franciscani deposuerit. Falsum est quinto, quod in eadem specu Manresana, servato Tertiarii pœnitentis habitu, admirabilem Exercitiorum spiritualium librum conscripserit. De professione* S. Ignatii *dicetur alibi. De habitu mox actum. Quot quantæque in exiguo isto fragmento conglomerantur falsitates, inter aniles nænias reponendæ ! Quid vero* recens auctor ab ordinariis libr, censoribus approbatus Bruxellis. Item R. P. Engelbertus Pauck Ord. S. Francisci Seraph. pariter a censoribus approbatus in tertia Vinea Seraph. f. 164, *qui ibidem citantur, suadere possunt in hac re, si conferantur cum tota retro antiquitate, cui ne quidem incidit de ea vel somniare ?*

Perstringuntur quædam circa imaginem S. Ignatii, cum inscriptione Manresæ expositam.

43. *Aliquid etiam in simili materia contigisse Manresæ, illud indicio est, quod P. Ignatius Pien, germanus meus frater, inter monumenta Romana ad me miserit inscriptionem Hispanicam, subjectam imagini* S. Ignatii de Loyola *in monasterio PP. Dominicorum Manresæ, a R. P. F. Bernardo Llanes, filio ac Priore istius conventus, die 3 Aprilis anno 1649. Prædictus Pater Ignatius Pinius subjungit,* habere *se* et Memoriale, quod Nostri tum contra modum quo depingebatur in prædicta imagine S. Ignatius, tum contra inscriptionem, obtulerunt Patri Vicario Dominicanorum : et Res-

ponsionem cujusdam P. Dominicani ad dictum Memoriale : denique Nostrorum Memoriale oblatum Inquisitioni. *Ex Inscriptione dicta habemus, quod* S. Ignatius *anno 1522 e Monte serrato Manresam digressus, ad conventum PP. Dominicanorum venerit ; quod ejusdem conventus Prior ipsum hospitio exceperit in quadam cella istius loci (qui tunc Prioratus dicebatur) ; in quo habitarit reliquo tempore, quo Manresæ fuit ; quod in isto conventu magnas res spirituales sit operatus, et cœlestibus deliciis gavisus fuerit. Et paulo post additur, quod multas habuerit illuminationes e cœlo, et composuerit librum Exercitiorum spiritualium. Si autem* Ignatius, *quamdiu apud Manresanos fuit, in isto conventu fuit, prout vult inscriptio ista, cum alterius, quo Sanctus diverterit, loci non meminerit ; Ergo Sanctus ad xenodochium ibidem primo non divertit ; ergo nihil in antro Manresano egit earum rerum, quas ibidem egisse, affirmatur : quæ sunt falsa ; vide Ribadeneiram lib. I cap.* V *et* VI, *et ea quæ de antro Manresano, ac de Exercitiis spiritualibus postea dicam. Hæc de inscriptione. Quid vero in imagine* S. Ignatii *ibidem exposita, nostris displicuerit, non invenio ; neque novi, quænam postea consecuta fuerint hanc controversiam.*

§ V. Iter e Monte serrato Manresam ; Sancti spelunca ; Exercitia spiritualia ibidem composita ; tempus commorationis.

Manresæ notitia.

Inter hæc itaque e profano milite piissimum mutatus in peregrinum Ignatius, nondum certa luce,

relicto monachis *Menserratensis cœnobii* jumento, pedes ipse, obvoluto etiam tum fasciis altero crure claudicans, per summum larem a Monte serrato discessit, et e via militari paulo post deflexit primum ad deserta in vicino loca, deinde ad oppidum Barcinonensis agri Minoressam (hodie Manresam vulgus appelat), novem fere millibus passuum a Monte serrato, *inquit Maffeius lib. I, cap.* v. *Locum illum quondam episcopalem fuisse, ad fluvium Cardoner* * *situm, qui paulo infra in Rubricatum cadit, observat neotericus geographus Michael Antonius Baudrand, ad vocem* Minorissa. *Porro urbeculam hanc esse in valle sitam, scribebat Cantius, qui supra. Esse autem Manresam domorum quingentarum vel oppidulum vel pagum, habemus ex Bartholo lib. I, num.* 2.

* al. Cardener.

45. *Cæterum quæ paucis circa discessum Sancti mox dedimus ex Maffeio, plenius descripta habemus in apographo Hispanico una cum aliis monumentis Romanis huc misso, hoc titulo :* Relatio et Historia temporis, quo moratus est noster beatus Pater Ignatius Minoressæ et Barcinone, quam scriptam reliquit Joannes Sacrista Paschalis. *Ad marginem item Hispanice sequentia annotantur manu P. Pinii :* Istam Historiam temporis, quo N. B. P. Ignatius fuit in civitatibus Minoressana ac Barcinonensi, mittit nostro Patri Generali Claudio Aquaviva P. Franciscus Castel per P. Josephum de Alderete 1605. *Inde delibo hæc, quæ subdo:* Ego Joannes Sacrista Paschalis, *inquit*, fidem facio per virtutem hujus præsentis scripti ad perpetuam memoriam eorum, quæ audivi dicere matrem meam Agnetem Paschalem, viduam secundi

Exponitur quomodo S. Ignatius

matrimonii, et P. Ignatium de Loyola, partim de rebus, quæ sequuntur, spectantibus ad itinera, conversionem, et adventum ejus in civitatem Minoressanam ac Barcinonensem ; partim de illis, quas vidi et tractavi egomet oculis meis ac manibus meis. Dum essem juvenis annorum quindecim, et ephebus essem archiepiscopi, qui tunc erat Tarraconensis, cum quodam avunculo meo, dictæ meæ matris Agnetis Paschalis viduæ germano fratre, nomine Antonio Pujol, qui dicto archiepiscopo erat a cæremoniis sacris, et a confessionibus ; quia erat vir valde doctus, et magnorum meritorum ; morabatur tunc temporis mea mater Mineressæ ; *ob negotia, quæ ibi memorat hujus narrationis auctor.*

relicto Serrato monte

46. Habebat illa tunc domum suam præcipuam et habitationem in hac civitate Barcinonensi : *cura illius in absentia sua aliis commissa.* Quæ dum sabbato quodam visitasset sanctam domum Dominæ nostræ Monserratensis (quo solebat ire sabbatis plerisque, quia tribus dumtaxat leucis Manresa distabat) et rediret domum suam a meridie *una cum comitatu juvenum duorum, ac trium mulierum ibidem expresso ;* ad sacellum Apostolorum, quod paulo inferius aberat a Domina nostra, venit eis obviam juvenis quidam vili veste lanea * totus vestitus, tanquam peregrinus, statura quidem non admodum procerus, verum candidus et rubicundus, et boni admodum vultus, et gravis, et super omnia, modestiæ magnæ oculorum, quos vix solo levabat : veniebatque valde defessus, ac claudicans tibia dextera. Venit obviam, ut dixi, matri in sacello Apostolorum : quam rogabat,

* in Hispanico est GERGA

sicubi circa esset xenodochium, quo recipere se posset. Illa vero honoratum ac bonum vultum ejus conspicata, una cum capite aliquantulum calvo, contemplabatur illum, movente eam præsentia ejus ad devotionem et pietatem : et sic illi dixit, quod magis ibi erat vicinum, tribus inde leucis distaret, ubi ipsæ habitarent, in civitate Minoressana : unde erat, et quo ïbat. Quod si placeret comitari sese ac sequi ibi sese commodaturam ei ac laute prospecturam, modo, quo fieri posset, optimo.

47. Ipse vero honoratis ac Christianis verbis dictam oblationem sibi gratam esse testificatus, decrevit eas sequi, tardo incedentes gressu, ob claudicationem ejus, ut comitari illas posset. Dumque offerent ei asinum, quem secum ducebant, ut ei insideret, ex commiseratione, qua erga eum ferebantur, numquam exorare eum potuere, ut desineret ire pedes, aut jumentum conscenderet vel ad unicum passum. Dumque omnes simul jam sero adventarent Minoressam, dictus P. Ignatius, et duo dicti juvenes alii, et dictæ tres mulieres, et mea mater; illa, priusquam intraret civitatem, eum præmisit, ut intraret cum Hieronyma Cavera vidua et xenodochii S. Luciæ ejusdem civitatis præfecta, mandans ei, ut de bono lecto ac cubiculo ipsi prospiceret in dicto xenodochio, ejusque curam gereret ; in reliquis, quæ ad ejus victum ac lautitias spectarent, sollicite se ei prospecturam e sua domo, quot diebus necesse foret. Et sic contigit, ut, domum redux dicta mea mater, eodem isto vespere miserit ad xenodochium pro dicto P. Ignatio cœnam, quam pro semetipsa invenerat

Minoressam pervenerit :

præparatam, gallinam, sicut dicebat, et scutellam cum jure; quia ipsa erat aliquantulum male affecta. Idem fecit duobus sequentibus diebus, quibus is versatus fuit in xenodochio, quinque videlicet; ubi semper jejunabat magno cum rigore. *Ne nimium excrescat narratio, eam contraho.*

et quomodo inde sit digressus.

48. *Subtexit varia de ejus virtutibus, vitæ asperitate, procurata ei domo a sua matre, ut tranquillius ac commodius rebus suis vacaret; de colloquiis spiritualibus, bonis operibus, quæ tam in hospitali erga infirmos, quam erga pauperes reliquos, in civitate existentes exercebat: deinde refert invidorum ac malitiosorum contradictiones ac murmurationes adversus sancta hæc exercitia, et eorum auctorem, nec non ipsius sequaces, ac singulatim Joannam Serram, in cujus domum se receperat; et super omnia murmur fuisse narrat de sua matre Agnete Paschale, quæ tanquam istarum turbarum inventrix ac novitatum fautrix traducebatur, ob officia a se earum auctori præstita: eoque rem processisse, ut coacta fuerit Tarracone accersere germanum suum fratrem Antonium Pujol, de quo supra; quem cum festinatione, se comitante, ad civitatem Minoressanam venisse memorat; matremque suam, re ipsi exposita, ab ipso petisse, ut illum secum duceret Barcinonem. Dictum factum; valedixit Minoressæ* Ignatius, *maximo sui apud majorem ac meliorem civitatis partem relicto desiderio: ac cum avunculo dicti Joannis Paschalis Barcinomen venit. Hæc inde contraximus: quæ Barcinonem spectant, postea dabuntur, ubi, qua hoc Joannis testimonium valeat auctoritate, dicetur; nunc Minoressam repetamus.*

Spelunca S. Ignatii

49. *Franciscus Vicens, ejusdem civitatis civis, nec non philosophiæ ac medicinæ doctor, Apologiam edidit, anno* 1664 *excusam ; qua veritatem et unitatem sanctæ ac prodigiosæ speluncæ Minoressanæ egregie defendit : quam ibidem Societas Jesus pro vera atque unica habet ac possidet ; in quam ejus gtoriosus Fundator ac Patriarcha e Monte serrato digressus, et a divino Spiritu motus, secessit : quam denique rara sua asperitate, mirabili vita, cœli favoribus ibidem acceptis, et miraculis patratis, in verum sanctuarium convertit. Atque hæc quidem summatim a laudato istius Apologiæ auctore præmissa, plenius deducuntur apud Vitæ Ignatianæ scriptores. Quia vero proxime sæpius recurret ista Apologia, magno utique ad illustrandam Sancti nostri apud Minoressanos commorationem subsidio nobis futura, ideo brevem de hac rationem suggerendam putavimus.*

unica contra quosdam religiosos

50. *Religiosi quidam patres Minoressani hunc controversiam moverunt, dicendo coram testibus fide dignis, quod in suo conventu esset vera* S. Ignatii *spelunca : quodque non esset talis, quam habet Societas. Sed postea eos dictum mitigasse mense Augusto anni* 1664, *habemus ex citato Apologiæ auctore, misso ab illis ad Societatis collegium religioso, qui renuntiaret, cogitasse eos numquam, aut dixisse, quod spelunca Societatis non esset vera, in qua Sanctus habitarit ; sed quod etiam habitarit in illa, quam ipsi haberent, prope eam, quæ est Societatis. Et sane tam alte insederat opinio ista Patrum dictorum animis, ut ex sua nova spelunca terram dederint pro infirmis, ad imitationem vel contrapositionem, ut loquitur auctor,*

illius, quæ donari solet, miraculis donum subsecutis, ex antiqua, quam civitas veneratur. Quibus autem verbis illa sese opposuerit die 20 *Septembris dicti anni* 1664, *imaginariæ istius speluncæ patronis, habet auctor num.* 9. *Quod vero sancta spelunca, ad istum usque diem in veneratione habita, sit illa, quam* S. Ignatius *incoluit, a num.* 13 *probat ex juratis et oculatis testimoniis. A num.* 17 *profert juratos testes, illud audivisse se ab iis, qui rem viderunt, deponentes.*

asseritur,

51. *Postea idem argumentum probat a traditione, famaque publica cum authenticis scripturis : ne loquar de universali veneratione, a num.* 39 *; et miraculis, a num.* 47. *Denique concludere se manifeste et evidenter censet, hanc et non aliam esse speluncam veram et unicam* S. Ignatii, *quam nostra Societas possidet ; adjunctis deinde argumentis negativis, ut vocant, quæ sufficiant ad convincendum quemlibet hominem, modo ratione duci se sinat, ex singularibus adjunctis, quæ huic causæ patrocinentur. Possessio itaque, ut nos dicta concludamus, stetit semper, stabitque pro Societate nostra, unicam, ac veram Sancti speluncam habente, cum exclusione alterius cujuscumque ; quam post elapsos tot annos fabricare demun anno* 1664 *non poterat bonorum istorum religiosorum novitas, omni probabilitatis fundamento destituta. Placet nunc, antequam ad alia pergamus, qualis fuerit illa spelunca, describere. Loci itaque situm, naturam, formam, dimensionem, et cetera id genus intellige ex Bartolo lib. I, num.* 12 :

quæ describitur.

52. *Sancto secessum* quærenti, facile *is* occurit passu fere sexcentesimo Manresa distans, insti-

tuto valde idoneus. Spelunca fuit ad infimum collem, viva in rupe excavata, tenebricosa, nec multum sepulcro dissimilis, loco tamen peramœno sita, et angusta in valle, cui apud incolas Paradisi valli [nomen] amœnitas fecit. Calamis inde octoginta Cardanerus rivus limpidissimis aquis fluit : et regione est via regia : hanc inter et specum e saxo crux visitur, e tribus una, ad quas Sancto mos fuit pias obire stationes. Palmos habet in longum spelunca duos et trigenta : lata decem : alta, qua fornix multum attollitur, similiter decem : depressior vero, prout interius magis in illam receditur. Qua parte Monserratum spectat fenestella patet, ex scissura rupis commode captata, ex qua prospici templum potest, et Virgo Parens adorari. Ceterum undique nigra, et tenebris horrida, et incomposita, et prominentibus sursum hinc inde ex caute cuspidibus aspera. Pauci hanc norant, adibat nemo ; et hoc Ignatio opportunior visa. Aperto igitur in illam per objecta spineta, et condensa dumorum, angusto aditu, suam fecit. *Vicensus superius memoratus narrat num.* 31, *illustrissimos episcopos Raphaelem de Rovirola Barcinonensem, et Franciscum Robuster Vicensem, judices remissoriales in processibus canonizationis* S. Ignatii *die* 16 *Septembris anni* 1606 *istam speluncam oculis lustrasse ; ac rem gestam haberi in informatione ejusdem anni* 1606, *fol.* 510 ; *quæ dicat inter alia, hanc speluncam* distare a civitate quasi 200 passus ; *præterea* habere longitudinem 26 palmorum ; *esse* latitudinis octo, et undecim altitudinis. *Cantius in literis, de quibus supra*, ad tertium circiter jactum lapidis *extra Manresam collocat illud monumentum.*

Ibi Exercitia spiritualia composuit.

53. *Variæ rationes nobis persuadent, in secessu istius speluncæ a Viro sancto compositum fuisse librum Exercitiorum spiritualium, vel primam eorumdem designationem et ideam. Primo : Quia locus ille maxime ad hoc erat aptus, solitarius utique strepitu et interpellatoribus liber.* II. *Quia apud laudatum Vicensum num.* 13 *habemus, quod* in ista spelunca ageret asperam pœnitentiam : *quod* sæpe admodum in illam secederet, *num.* 20 : quod habitaverit in... spelunca dicta..., quod flagro se cæderet in spelunca..., et quod Sanctus IN *dicta* SPELUNCA FACERET EXERCITIA. *Et citantur Informationes Barcinonenses ac Minoressanæ. Dicebam superius disjunctive* vel primam eorumdem designationem etc. ; *nam Exercitia illa non simul et semel composita sunt. In antiquissima enim Vita, auctore Consalvo, ex ore sancti Patris excepta, sub finem, rogatus Vir sanctus*, quonam modo ea conscripsisset ; respondit, Exercitia non simul omnia fuisse composita, sed ut quæque observarat sibi profuisse, ita scripto annotasse, quod existimarat, aliis quoque posse esse utilia. Qualis est illa ratio examinandæ conscientiæ, adhibitis lineis illis, et hujusmodi alia. Electionum rationem particulatim asseruit elicuisse se ex illa spirituum varietate, quam sensit tum, cum in Loyola æger ex tibia decumberet. *At de Exercitiis* S. Ignatii *plurima mox dicenda supersunt.*

Quamdiu Manresæ moratus fuerit

54. *Commorationem* S. Ignatii *apud Minoressanos extendendam ad unum circiter annum, conficitur ex Actis ex ore Sancti a Consalvo exceptis num.* 29 ; *ubi hæ dicuntur* : Adhuc Manresæ cum esset (fuit autem ibi anno ferme toto ;) *etc. De hac*

commoratione etiam ex Ribadeneira et Maffeio constat. Hic lib. I, *cap.* XI, anni fere spatio, *ait*, exacto, Hierosolymam... petere omnino constituit. *Et cap.* XII sub initium anni 1523 Minoressa profectum, venisse Barcinonem *affirmat. Ribadeneira vero lib.* I *cap.* XI *scribit:* Annum unum plus minus Manresæ transegit. *In Vita autem breviore apud Quartemontium cap.* IV, annum pene Minoressæ commoratus *dicitur. Quod tempus aliquando plus abbreviat Orlandinus lib.* I, *num* 31 *dicens, quod* Barcinonem dicesserit... Manresam decimo fere postquam venerat mense... relinquens. *In Horis canonicis numero rotundo ibidem* per annum commoratus *narratur. Sequitur ex tot allatis testimoniis, ut audiendus non sit Garibaius lib.* XXX, *cap.* V, *dum* S. Ignatii *apud Minoressanos commorationem justo parcius restringit ad menses septem.*

§ VI. Exercitiorum liber a quo, ubi et quando scriptus? Hujus argumenti vindiciæ.

Yepezio, qui censet Exercitia a Sancto composita fuisse postquam studuerat,

In parvo illo quidem, sed nervoso Exercitiorum spiritualium elogio, quod in Horis Sancti canonicis, postquam esset dictum de iis, quæ *Sancto* Manresæ patefecerat Dominus, *mox ita recitat Ecclesia:* Quo tempore homo litterarum plane rudis, admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio, et omnium utilitate comprobatum; *ex illo, inquam, elogio constitue, quid ex communi Ecclesiæ sensu sit tenendum circa*

tria ista quæsita ; nimirum a S. Ignatio *Manresæ degente, anno* 1522 *librum istum fuisse compositum. R. P. Antonius Yepes in Chronico generali Ordinis S. Benedicti Hispanice edito, tom.* IV, *centuria* 5, *fol.* 236 *censet, Sanctum hujus libri haud dubie conditorem fuisse, sed hunc ab eo ordinatum tunc, quando erat Minoressæ, fatetur, sibi certum non esse, imo potius se tenere contrarium magis probabile. Etenim quia opus illud scatet multis auctoritatibus Scripturæ sacræ ac doctrinæ Sanctorum ; Viro istarum rerum atque ipsius quidem Latini sermonis tunc imperito illius confectionem abjudicat ; propius ad verum accedere censens, quod emenso Parisiis studiorum curriculo illud conscripserit, litteris utique et experientia tunc temporis instructus ; adeo ut, dum Minoressæ personas ad se accedentes spiritualibus imbuit Exercitiis, id non contigerit juxta conjecturam Yepezii, quia tunc scripsit Exercitiorum librum, sed quia tunc profecit Cisnerosiano. Addit, id affirmare sese non ex sua solius conjectura, sed vult id colligi ex generali Ordinis S. Benedicti traditione, quæ originem traxerit ex usu loci sacri Monserratensis.*

opponitur Ribadeneira ; qui ad argumenta ejus

56. *Ad hæc fatetur, patrem Ribadeneiram in contraria esse sententia, ejusque epistolam, a R. P. Francisco Giron, collegii Salmanticensis Societatis Jesu Rectore secum communicatam profert a fol.* 237 *; e qua delibo sequentia Latine ex Hispanico a me reddita. Duo Ribadeneiræ statuenda videntur,* alterum, quod valde sit probabile, beatum Patrem nostrum Ignatium Minoressæ habuisse notitiam libri aut Exercitatorii patris fratris Garciæ de Cisneros, atque in *melioris vitæ* initiis illo profe-

cisse ad suam orationem ac meditationem, nec non a patre fratre Joanne Chanones instructum ac nonnulla ex eo edoctum fuisse ; Sanctumque etiam libro, quem postea composuit, Exercitiorum spiritualium nomen indidisse, desumpto libri nomine e patris fratris Garciæ libro vel Exercitatorio. Alterum est, quod sancti Patris liber a patris fratris Garciæ libro valde sit diversus : quia tametsi in uno atque altero materia tenus tractentur aliqua, quæ coincidunt ; in modo tamen et forma tranctandi valde differunt. *Et postquam Ribadeneira enumerasset varia, quæ in libro Exercitiorum præcipuum admodum tenent locum, et de quibus in isto alio verbum occurrit nullum ; statuit* dubium non esse, quin duo isti libri differant, et secundus e primo non sit desumptus.

57. *Ad argumentum, quod promebat Yepesius ex Sancti id temporis imperitia, reponit Ribadeneira,* quod, ut Deus doceat, et illuminet animam aliquam, studiis aut latinitate opus non sit. Atque id, quod Pater, *inquit,* noster scripsit in libro Exercitiorum, non ideo scripsit, quia eo converterat studium aut in libris id didicerat ; sed quia ipsum Deus illud docuerat, idque erat in se ipse expertus. Nam tametsi in illis principiis non sciret, quidnam de se statuisset Dominus ; sciebat tamen illud Deus, et paulatim eum disponebat, ut fundatorem eum faceret Societatis, magnumque Ecclesiæ suæ Patriarcham ; dabatque illi unum ex adminiculis, quod debebat jungere ac subigere eamdem suam Societatem ; ejusque filii tantum in Ecclesia facere fructum, quantum fecere per Exercitia. *Et mox suam sententiam confirmans ex* respondet,

fructu, quem ubique ac tot modis Dominus noster per illa operari dignatus est, recte judicat, quod etiamsi sanctus Pater noster multum studuisset, suaque ex aliis libris prompsisset Exercitia, fieri tamen, humano modo loquendo, haud potuisse, ut ex ideis in schola haustis, atque ex librorum etiam spiritualium ac piorum lectione erutis, sequerentur mutationes vitæ, morum reformationes, aliaque spiritus emolumenta, qualia ex libro Exercitiorum sancti Patris profluxere, si singulari cum favore Dominus ipsi ea non dedisset ad istarum rerum exsecutionem.

ac probat, eadem a Sancto recenter converso fuisse composita.

58. *Tum allegat verba Pauli PP. III, qui in Brevi, anno* 1548 *edito laudans et confirmans Exercitia, sic loquitur :* Exercitia spiritualia ex sacris Scripturis, et vitæ spiritualis experimentis elicita. *Item patris Polanci* (cujus, *inquit Ribadeneira,* est Præfatio Exercitiorum libri.) *hunc textum citat idem auctor* : Hæc documenta acs piritualia Exercitia, quæ non tam a libris, quam ab unctione sancti Spiritus, et ab interna experientia, et usu tractandorum animorum edoctus noster in Christo Pater etc. composuit. *Et tandem laudatus Ribadeneira ita rem concludit :* Atque is fuit communis sensus omnium antiquorum Patrum Societatis, qui tractavimus et conversati fuimus cum nostro beato Patre ; nec unquam alterius fuit rei cogitatio vel suspicio. *Epistolæ* Matriti 18 Aprilis anno 1607 *datæ subscribitur* Petrus Ribadeneira. *Quibus solide stabiliuntur ea, quæ jam pridem dixerat lib. I Vitæ cap.* VIII : Hoc eodem tempore, Exercitiorum spiritualium librum, quem appellant, ex accurata eorum, quæ sibi contigerant, observa-

tione conscripsit ; *tum videlicet, quando apud Minoressanos degebat, prout ex antecedente ac consequente memorati scriptoris textu liquet. Liber itaque ille a* S. Ignatio *Manresæ anno* 1522 *conscriptus est.*

59. *Atque hæc quidem ad commentationes illas sacras* S. Ignatio *tanquam vero ac genuino earum auctori vindicandas sufficere poterant tunc temporis. Fuit tamen inventus hypercriticus quidam, cui postmodum antiquam illam cramben recoquere, et nova inde ineptiarum fercula obtrudere placuit. Rem ejusque vindicias accipe ex Bartolo lib. I Vitæ num* 21 : Diximus. *inquit,* S. Ignatium, ex paterna domo Monserratum profectum vitam omnem apud Joannem Chanones, monachum S. Benedicti, confessione sacra expiasse, fuisse ab illo sanctis consiliis in suscepta virtute institutum ; addo, forsitan ad hoc et librum aliquem, ac, si lubet, hoc ipsum, quod commemoratur, Exercitatiorum accepisse. Ex his nescio quis, quodcumque huic nomen, libros scripsit duos : indicem hunc facit : « De religiosa S. Ignatii sive S. Enneconis, funda- » toris Societatis Jesu , per Patres Benedictinos » institutione ; deque libello Exercitiorum ejusdem » ab Exercitatorio veri servi Dei, Garziæ Cisneri, » abbatis Benedictini magna ea parte desumpto. » Exercitia illa

60. Ex quo patet, probare conatum, de Cisneri libro S. Ignatium magna ex parte Exercitia sua exscripsisse ; proinde, ut plane sequitur, non sua ; nisi si alieni injustus occupator, vocari possessor legitimus debeat. Qui enim potuit divinorum rudis, inquit ille, de cultu intimæ virtutis tam exquisita peritia et cohærenter adeo scribere ? Unde porro contra ineptum quemdan hypercriticum

illi in tractandis animis experientia, qui delituisset eatenus vel inter mendicos, et ægrotos in nosocomio ; vel in solitario cavo eremita ? Ex Cisnero igitur librum illum descripsit. Hoc vero nec unum, nec tamen gravissimum eorum, quibus S. Ignatii gloriam, ejusque Ordinem is liber perstringit ; sed cum ab sacra Indicis Congregatione notatus sit, *(Romano utique fulmine ictus, sicut constat ex ejusdem Congregationis decreto, anno* 1646, *die* 18 *Decembris Romæ edito)* unaque ex hominum oculis et memoria erasus, nullam sui deinceps meretur mentionem.

egregie tuetur Bartolus,

61. Ad Exercitia quod spectat, hoc solum dixero; si quid valent, quæ ante retuli, evidentissime ex iis oppositum confici, Ignatium scilicet ex Cisnero Exercitia nec descripsisse neque compilasse, Nihil quidem verius, quam oportuisse illum aliunde id haurire, in quo ipse nec satis versatus, nec per se sat esset eruditus. Unde vero, et quonam in modo ? Dicant ejus fidei testes, quam illustrissimi Romanæ Rotæ Auditores nominis sui pondere commendant: « Cum dicta, inquiunt, Exercitia facta fuerint eo » tempore, quo dictus B. Pater erat idiota, et » litterarum ignarus ; utique cogimur fateri, dic- » tam cognitionem, et lumen supernaturaliter in- » fusa potius, quam acquisita fuisse. » Quæ vox de iis auctoritatibus deprompta, et ab iis auctoribus edita, quibus rei commissæ gravitas, veri necessitatem imponebat, apud quemlibet cordatum plus debet posse, quam ut velit certioribus confirmari.

atque Ignatio

62. Habemus tamen S. Ignatii intime conscios et familiares Jacobum Lainium, et Joannem Polan-

cum, a quibus extra ambiguum nobis traditum est, S. Ignatio in Exercitiis componendis magistrum primarium præter Deum, fuisse nominem ; documenta præterquam e cœlo fuisse nulla. Nec desunt vitæ sanctissimæ homines, idem divinitus edocti, quos et longum referre, et mihi non necessarium, testimoniis nixo juridicis, dum ageretur de illo in Sanctorum album adscribendo. Illud potius necessarium, meminisse, quod diserte nobis consignarunt, qui ex ipsomet audiverant ; ut novis subinde radiis illuminatior, de divinis plura cognoscebat, sic libro Exercitiorum novi semper aliquid addidisse, donec qualem habemus perficeret. Ex quibus egregie, ambigentibus fit satis, qui potuerit tam absolutum opusculum prodire ab homine neque litterato, nec regendis animis assueto ; qui vero etiam ejusmodi cum esset, uti potuerit conciliorum et Patrum locis, et boni malique spiritus naturam statis discernere regulis, quæ nisi ab apprime docto, et interioris hominis gubernatione jam longa trito præstari nequeunt.

63. Manresæ siquidem dum solus ageret, EX IIS QUÆ DIVINO MAGISTERIO DIDICERAT (quod coram Gregorio XV ex authentico relatu illustrissimorum Romanæ Rotæ Auditorum, confessus Pontificii dixit Advocatus, de illa tractans Manresana Sancti commoratione) ex iis, inquam, præcipuas, eo, quem exposui ordine, descripsit Exercitiorum partes ; quibus deinde veluti subtructis inædificavit semper totis quinque et viginti annis, ad 1548, quo Pauli 3 auctoritate communita in lucem exierunt ; diuque jam interioris vitæ œconomiam usu ipso perdoctus, novas iis adjunxit regulas, vindicat,

quas Additiones vocavit ; et jam theologus varios ex conciliis et Patribus textus. Hinc eo Pontifiex, quod paulo ante exscripsi, *inquit*, diplomate, DOCUMENTA NOMINAVIT, SIVE EXERCITIA SPIRITUALIA EX SCRIPTURIS, ET VITÆ SPIRITUALIS EXPERIMENTIS ELICITA, ET IN ORDINEM AD PIE MOVENDOS FIDELIUM ANIMOS APTISSIMUM REDACTA : qualia videlicet tunc erant, cum a duce Francisco Borgia ea acciperet supremo suffragio confirmanda : non autem qualia fuerant, cum Manresæ primum a Sancto fuerant conscripta. Ergo Ignatius neque ab uno se Exercitia protulit ; sed neque ab Cisnero. Quod adeo liquet inter se utraque componenti, esto materiæ aliquid commune habeant, ut arcem regiam liquet a palatio differre, licet portas et muros utraque habeant. *Quod ne gratis a se dictum quispiam existimet, argumentum hoc probat Bartolus a partium libri utriusque enumeratione, sic prosequens :*

tanquam vero ac genuino

64. Ubi enim in Exercitatorio Cisneri meditatio Fundamenti, de fine in quem conditus homo est ; quod est Exercitiorum S. Ignatii principium ad extricandum ab secularibus animum, ut ab initio in nullum eorum propendeat ? Ubi de duobus Vexillis, ad afficiendos ad Christi vexillum animos ? Ubi alia de tyranno et rege, ad præcipiendum belli utriusque eventum, et præmia ? Ubi stabilis vitæ Electio, totius pars maxima, in quam tendunt quæcumque præmissa sunt ? Ubi Modus orandi triplex ? Ubi conscientiæ Examen singulare... Ubi tot Additiones et Regulæ ad secernendos inter se spiritus ; ad correctionem scrupulorum ; ad ordinandam in posterum vitam ; ad sentiendum cum Ecclesia Catholica ; ad sua in pauperes cum

fructu eroganda ? Estne horum quidquam in Exercitatorio Cisneri ? Estne reliquorum, quæ sunt S. Ignatii Exercitiis propria, et repeti ad prolixitatem absque tædio non possunt ? Materiam tamen dumtaxat attigi : nam si modus, et partium inter se spectetur commissio, quæ S. Ignatii Exercitia in artem, quam antea descripsi, formamque concinnat ; quæ vel umbra istorum in Cisnero ? quidve horum sat vidit illius propugnator, ut apud Cisnerum id investigaret ?

65. Est tamen hæc summa Exercitiorum ; hæc germana illorum et tam propria ratio ; ut eadem licet eorum materia, vel temere vel diverso ab iis ordine digesta, non Exercitia Ignatii, sed alterius generis conflatura [sit] librum, natura et efficientia ab iis diversum. Et esse plane oportuit memorem, quem hujus tuendæ falsitatis prurigo incessit, ex varietate effectorum, quam tuto asseratur causarum diversitas, et demonstrare ab Exercitiis Cisneri eas morum ubique commutationes profectas, quæ ab Exercitiis Ignatii tam arduæ tantoque numero factæ sunt, ut propterea incantamentorum, et magiæ suspicionem quibusdam facerent. eorumdem auctori.

§ VII. Argumenta alia, quibus Exercitiorum liber S. Ignatio tanquam vero ejusdem auctori asseritur ; expensa recentioris cujusdam scriptoris objecta.

Aliis deinde argumentis extrinsecus assumptis spiritualem hunc sacrarum commentationum the- Argumenta extrinseca

saurum vindicare pergit Bartolus vero suo ac genuino auctori Ignatio, *his verbis :* Ceterum secluso quovis argumento, ex causæ hujus visceribus utrimque nato ; ægre admodum fit multis, iisque gravissimis, quod mendacio finxisse, vel stolide creduli dicantur putasse, hoc esse Ignatii opus. Franciscus Borgia, dux Gandiæ, tum Religiosus, nunc Beatus, hoc Paulo III obtulit approbandum pro vero Ignatii partu ; (quod ipsa quoque significat Bulla ;) ut quem pro suo Ignatius Francisco tradiderat. Decepit igitur aut Pontificem Borgia, aut ipse a Sancto deceptus est ; at quali, et quam industrio in subducendis ab luce hominum, et deflectendis in alios rebus suis præclaris ? ita ut jam prope confectas attexere alteri niteretur, ne qua inde ad se gloria rediret. Familiæ ipsius, cujus fuerat parens, ne parens et fundator audiret, nomen esse voluit, quod nihil penitus de Ignatio sonaret. Jam si de Cisnero Exercitia non dicam integre suffuratus ; sed, quantum sufficiat, ad ea Cisnero adscribenda ; illa scilicet sibi adscripsisset ? Si vero non adscripsit, quem tandem illorum censeri auctorem voluit, præter Deum quo præceptore illa didicerat.

quibus dictus liber asseritur Sancto,

67. Sed nimium quantum Ignatii intererat, ne ab se is liber abjudicaretur, qui sibi, quod omnium cupidissimè optabat, obtrectationes, probra, accusationes veneficii et hæresis ; carcerem, catenas, et alia sexcenta insectationum cruciamenta lucri fecit, quæ illius causa pertulit æquissimo animo ; cum nihil magis in promptu esset, quam uno Cisneri titulo ea redimere, cujus pridem opus sine suspicione legebatur. Verum etsi tantus sui con-

temptor Ignatius non fuisset, ut etiam propria libenter aliis vellet attribui ; an et veri et æqui pariter contemptor ? An sui et generis immemor ? Projecti ruboris hunc esse oportet, qui alienam lucubrationem ita venditat pro sua, ut, eo adhuc etiam puero, auctoris jam nomine celebratam possit quivis e vulgo ei exprobare, rapto magis quam furto usurpatam. *Quodnam vero judicium formari debeat non tam de iis, quæ Sancto sunt objecta, quam de illorum scriptore et auctore, concludit ex libri utriusque diversitate ; ex Sancti virtute ac genio ; ex fide testium in decernendis illi Sanctorum honoribus juratorum ; ex illustrissimis Rotæ Romanæ auditoribus ; quorum is, qui Acta in gravem ac solidam causæ cognitionem Paulo V oblatam redegit, fuit Innocentius X, qui tempore Bartoli sedebat ; adde relationes consistoriales coram Gregorio XV publice et privatim habitas ; manuscriptos denique codices nostræ Societatis.*

contra adversarium publico congregationis Cassinensis decreto exarmatum.

68. *Post has pro auctore genuino sæpe laudati ac pluribus infra laudandi Exercitiorum libelli a Bartolo productas vindicias, observare juvat*, eam ob rem, *prout pergit,* scriptoris, qui contra jus omne officii, nomen religiosi Cassinensis assumere ausus est, inverecundiam sapiens illa et venerabilis congregatio non tulit; præter quod etiam magnam animadvertit injuriam fieri religiosæ familiæ, nihil tale commeritæ, sed semper, ut est in posterum, tum officiis obsequenti, tum spiritu filiæ, *edito super hac re decreto solenni, quod ex apographo nostri tabularii Romani huc misso a P. Ignatio Pinio, sic sonat :* Cum nobis relatum fuerit, libellum quemdam sub nomine D. Constantini Cajetani,

monachi Casinensis, et abbatis fuisse impressum, Societatis Jesu existimationi insigniter præjudicialem ; doluimus sane, prout par erat, vehementer hominis levitatem et audaciam (si quidem talis scriptionis est auctor, quod nobis difficillime persuaderi potest) summopere admirati. Ac ut religiosissimis Societatis patribus, qui tanti a nobis fiunt, quanti egregiam ipsorum virtutem ac doctrinam fieri æquum est, per nos satisfiat, et ceteris omnibus constet, inconsultis nobis ac plane insciis prædictum librum prodiisse in lucem, per occasionem nostrorum comitiorum in unum congregati, istud ipsum publico edicto vulgare ac contestari statuimus ; addentes insuper, præfatum P. D. Constantinum, quod extra congregationem nostram multis abhinc annis Pontificia auctoritate degat, potestati nostræ non amplius, quam alium quemvis alterius religiosi instituti professorem, subjectum esse. Quare si quid ab eo in hoc genere peccatum est adhuc, vel in posterum (quod Deus avertat !) peccari contigerit, tum ipsos Societatis Jesu alumnos, tum alios quoscumque omnes enixe rogatos volumus, ut certo sibi persuadeant, communi totius Congregationis Casinensis sensui, et peculiari in Societatem Jesu observantiæ id omnino adversari ac repugnare. Datum Ravennæ in nostris generalibus comitiis die 23 Aprilis 1644. D. Honoratus * a Ulateris * scriba Capituli. *Et appositum erat sigillum. Decretum illud etiam publici juris fecit Bartolus.*

* Bartol. Horatius.

* non satis potuit legi. Bartolus Volaterris,

69. *Alium vero quemdam, qui ineptissimum infamis hujus libelli auctorem incaute secutus fuerat, ejusdem instituti congregatio Lusitana publicis*

uti et sequacem ejus, publicis etiam congregationis Lusitanæ

etiam tabulis corrigendum censuit. Rem intellige ex hoc decreto apud Bartolum : Cum nostra Benedictina Congregatio Lusitana summo semper, ut par est, studio et reverentia doctissimam et religiosissimam Patrum Societatis Jesu familiam prosecuta sit ; idque omnes Christianæ disciplinæ, nedum arctioris instituti sectatores deceat, ut charitate simul ambulantes, honore sese invicem prævenient ; testatur nos infra scripti prædictæ congregationis abbas generalis et definitores, ad hoc specialiter congregati, in libro inscripto, Historia Benedictina, vernaculo idiomate Lusitano nuper edito a nostro reverendo admodum patre magistro Leone a S. Thoma, congregationis nostræ Lusitanæ monacho, et in Conimbricensi academia primario theologiæ professore, nonnulla referri ex Constantino quodam Cajetano, nostræ item Casinensis congregationis monacho, quæ, ut prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi adversantia, sic minus probabilia, quam fides historiæ postulat, ab ipsa congregatione nostra Casinensi (quam et parentem libenter veneramur) decreto publico indicata jam sunt.

Ordinis Benedictini tabulis perstrictum.

70. Quocirca ea, ut sine fundamento a primo auctore vulgata aut excogitata et minus considerate a secundo relata, certe a communi congregationis nostræ sensu aliena declaramus. In quorum fidem testimonium hoc scribi jussimus, et nomina nostra subscripsimus, religiosos sacræ dictæ Societatis Patres enixe rogantes, ut de antiqua illa nostra in ipsos, quam hactenus experti sunt, observantia nihil detractum vel diminutum fuisse, vel etiam in posterum fore, sibi certo persuadeant. Datum in

hoc nostro monasterio Tibanensi, die 29 Octobris, anni 1645. Magister F. Antonius Carneiro, abbas generalis S. Benedicti etc. *Ceterum pro hac tam insigni optimæ erga Societatem nostram voluntatis testificatione, comitia nostra generalia octava, anno* 1646 *Romæ habita, suarum esse partium existimarunt, utrique jam laudatæ congregationi agere gratias, editis super hac re ad posterorum memoriam decretis decimo tertio, et vigesimo sexto, quæ habentur in novissima Instituti nostri editione, Pragæ excusa anno* 1705, *tom. I pag.* 566, *et* 570.

Argaizius ex isto sordido fonte, et alio nullius hic fidei

71. *Jam vero quisnam post hæc satis patienter ferat, odiosam hanc et amarulentam de Exercitiis Ignatianis cramben iterum recoqui a recentiore quodam scribillatore ; qui vel rerum omnium ignarus, vel non satis erga Societatem, ejusve Conditorem benignus, ut mitissime dicam, mirabilem illum librum Sancto eripere conatur, et Cisnerosianum ei substituere. Verum an auctor ille commiseratione potius quam refutatione dignus non sit, aliorum esto judicium. Gregorius enim Argaizius, Ordinis S. Benedicti chronographus, in Historia Dominæ nostræ Monserratensis anno* 1677 *lingua Hispanica Matriti impressa, cap.* XLVI *num.* 9 *inter alias ineptias, quas de* S. Ignatio *effutit, non infimum illi locum tribuit, quæ versatur circa Exercitia. Etenim ut taciti prætereamus, quæ de gestis ab eodem Sancto in Ordine S. Benedicti, uti vult, in medium profert, pluribus vicibus in subsidium advocat D. Constantinum Caietanum ; quasi vero fidem facere possit auctor, cui tot publicæ ac solennes censuræ inustæ fuerant. Sed demus hoc ignorantiæ Argaizii potius, quam malevolentiæ, juxta*

legem charitatis, quæ non cogitat malum. Dispiciamus interim quasnam ineptias porrigat Argaizius, malæ istius causæ malus patronus. Carolum de Tapia in Commentariis in Authentica Ingressi, *quem citat,* cap. de sacrosanctis Eccles. in verbo Monasteria, cap. x, num. 2 *de* S. Ignatio *ita inter alia scribentem producit :*

impugnat verum Exercitiorum auctorem ;

72. In Serratum gloriosissimæ Deiparæque Mariæ montem dicatum abiit ; ubi vili amictus habitu, TRIENNIO IN HEREMO PERMANSIT. *Auctor ille quæ de eremo ista somniat, adeo male cohærent, ut pugnent cum tempore, cum loco, cum auctoritate scriptorum antiquiorum, majorem certe hic fidem meritorum, quam meritus sit Carolus de Tapia ; qui in iis, quæ ex ipso apud Argaizium proferuntur, nullam certe meretur. Specimina jam dedimus. Non est itaque quod vel tantillum hic deferamus Carolo de Tapia ; cujus tamen verbis vult Argaizius multum fidei habendum, ut qui, prout addit, valde amicus fuerit P. Alfonso Salmeroni, et Jacobo Lainez,* S. Ignatii *sociis. Sed absit, ut rebus istis adeo frivolis duo isti viri imbuerint dictum Carolum ; si verum sit, aliquem inter ipsos amicitiæ usum intercessisse. Ac Sanctus ex secessu Manresano sæpius rediit ad Montem serratum, ut cum viro illo, qui ibidem ei fuerat a sacris confessionibus, communicaret statum conscientiæ suæ. Hoc fac ita esse ; an exinde consequitur, ut* S. Ignatius *Minoressæ non composuerit Exercitia, a Cisnerosianis distincta ? At si legere dumtaxat gnarus et scribere, absque ullo latini sermonis usu, erat adeo doctus, uti vult Ribadencira, ut librum Exercitiorum conscripserit ; cur subibat Montem serratum ?*

Alium enim non habebat confessarius ejus, quam Cisnerianum. Sed hoc argumentum Argazii adeo enerve ac miserum est, ut responsum non mereatur.

sed sublestæ fidei accusatur.

73. *Ceterum quam sublestæ fidei sit bonus iste Argaizius, et cujus genii, abunde intelligi datur ex Nicolao Antonio, Bibliothecæ Hispanæ veteris tom.* I, *pag.* 400, *a num.* 455. *Consule item Acta nostra Sanctorum tom.* III *Aprilis, pag.* 271, *a num.* 7 ; *ac Responsiones Papebrochii parte* II, *ad articulum* 21 § 2. *Quia vero per hujus paragraphi decursum frequens mentio incidit de Garcia Cisneros ; si quis plura de eo cognoscere desiderat, adeat laudatum Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispana auctorum, qui post annum* 1500 *scripsere, tomo* I, *pag.* 392 ; *ubi breve viri elogium reperiet. Ex dictis abunde confutatur Arnoldus Wion, qui in Ligno Vitæ lib.* V, *cap.* X *de isto Garcia agens, nec non de Exercitatorio vitæ spiritualis, ab eodem composito,* maxime *ex illo tractatu* reverendi Societatis Jesu Patres, *inquit,* omnem suæ religionis perfectionem, meditandique modum sumpsere. *Hunc auctorem secutus Domnus Benedictus Haeftenus, monasterii Affligeniensis, Ordinis S. Benedicti præpositus, Disquisitionum monasticarum lib.* II, *tract.* VI, *disquisitione* V, *in eumdem errorem impegit.*

§ VIII. Exercitiorum idea ; viri in illis tradendis exercitati ; fructus in Societatem Jesu singillatim, atque in universam rempublicam Christianam generatim ex illis derivati, S. Ignatio etiamnum vivente.

Præter alios, qui dederunt Exercitiorum ideam,

Noster Franciscus Suarez tomo IV *De virtute et statu religionis, lib.* IX, *cap.* VI *pluribus exponit artem seu methodum Exercitiorum* S. Ignatii ; *id quod varii quoque scriptores Vitæ præstitere, nimirum Bartolus lib.* I, *num.* 16, *Garcias lib.* I, *cap.* X ; *ac Bouhoursius lib.* I ; *qui consuli poterunt ab iis, qui ideam Exercitiorum longa orationis serie delineatam videre desiderant. Paucula hæc apud Ribadeneiram lib.* I, *cap.* VIII ; nam quod in hac spiritali propriæ cognitionis schola discimus, non solum ad excolendum intellectum pertinet, sed ad inflammandam etiam voluntatem. Itaque non tam cognitione, quam actione perficitur ; ac finem habet non ipsam scientiam, sed operationem ; *hæc, inquam, paucula ibidem, uti et reliqua, quæ laudatus auctor hisce superaddit, non satis docent, in quo istorum Exercitiorum ratio consistat. P. Ignatius Diertins, vir præclarissimis in nostra Societate perfunctus officiis, et scriptis, quibus Exercitia spiritualia* S. Ignatii *explanavit, notissimus, hanc rem paucis complexus est in Historia Exercitiorum spiritualium, cujus partem primam Romæ anno* 1700 *typis vulgavit, dum lib.* I, *num.* 6 *sic enuntiat :* Exposito... fine, propter quem Deus hominem, ceteraque omnia condidit ; huic veritati tanquam funda-

mento semper insistens, mox per viam, quam vocant, Purgativam, ducit ad cognoscendam fœditatem peccatorum, per quæ ab illo fine turpissime deviamus.

illud paucis prestitit P. Ignatius Diertins.

75. Deinde proposito exemplo Christi regis ac imperatoris, a vexillo diaboli retractos ad ejusdem optimi ac sapientissimi ducis vexillum sequendum, ejusque virtutes imitandas per viam illuminativam nos provocat : imo per meditationem de tribus hominum classibus, quodammodo impellit. Quæ omnia in hebdomade tertia, ob oculos posito Christo cum cruce præeunte, magis ac magis confirmantur. Ac denique in via unitiva, quæ complectitur hebdomadem quartam, ad desiderium gloriæ resurgentis Christi, ejusdemque purissimum amorem nos accendit. Cum his conjungit annotationes, additiones, præludia, colloquia, examina, modos eligendi, regulas de victu temperando, de discernendis spiritibus, de scrupulis, de sentiendo cum orthodoxa Ecclesia, et cetera; quæ si eo, quo præscribuntur, ordine adhibeantur, incredibilem quamdam vim habent, homines ad virtutem sinceram, et ad salutem sempiternam perducendi: ut dubitare fas non sit, quin opus hoc sic humano majus, et plane æternæ mentis inventum; cujus præstantia numquam satis percipitur, nisi usus ipse atque exercitatio accesserit. *Habet hic lector quamdam sacrarum* S. Ignatii *commentationum summam.*

Multum refert, quo in Exercitiis directore utaris

76. *Porro non esse cujusvis, Exercitia sancti Patris nostri aliis ita tradere, ut non tantum ea fructum producant trigesimum in aliis, in aliis sexagesimum; sed centesimum; id est uberrima omnium cœlestium donorum affluentia cumulatissimum,*

recte observat Bartolus lib. I, *num.* 17: Illud tamen, *inquit,* pro comperto habetur, in Exercitiis cum fructu obeundis plurimum posse periti ductoris industriam, nec esse cujusvis promiscue id munus. Nam et sanctus Pater ex tam multis suo spiritu imbutis, et scientissimis rerum divinarum, tam paucos censuit ad Exercitia, suo ex ingenio menteque tradenda, ut, ubi quatuor nominarat, de aliis omnibus sileret. Primo loco fuit Petrus Faber, deinde Alfonsus Salmeron ; tertius * Hieronymus Domenecchus ; et, quoad primam hebdomadam Franciscus Strada. *Unde vero hujus difficultatis causa petitur ? Ex eo utique,* quod, *sicut prosequitur Bartolus,* Exercitia medicina sint ægrogantium animorum ; cumque sit horum ut temperatio diversa, sic intemperies ; ita una æqualis et immutata curatio non potest singulis prodesse. Unde sapienter ac perite Vir sanctus quasdam Additionum nomine præfixit regulas, partim exercenti animum, partim Exercitia tradenti.

* supple ex Italico Franciscus Villanova, et

77. *Jam vero quod insignes illæ ac mirabiles morum mutationes in multis hodie post obita Exercitia non sequantur, quæ primis temporibus adeo affluenter copioseque se prodebant, primariam causam refert Bartolus ex schedis Joannis Mironis, viri in Societate gravissimi, his verbis expressam :* Quod Patris nostri Ignatii præscriptis nequaquam insistitur ; bonum enim ex integra causa ; et si Additiones aliquot vel Annotationes negligantur, boni jactura fit, quod erat integræ illarum observationi alligatum : imo si quid etiam immutetur in Exercitiis tradendis ; jam non erunt Ignatii opus, sed diversi ab eo spiritus et inventi. Ita enim eæ

et qua accuratione ea obeas, ut centesimum fructum ferant.

additiones iis et illis meditationibus intime inhærent huic et illi hebdomadæ ; ut si aliter usurpentur, careant suo fructu ; multo magis si interserantur meditationes alienæ, aut meditationi cuilibet additio quælibet appendatur. Estque peculiaris hic illarum et proprius regularum usus, qui potissimum varia Exercitiorum genera, modosque secernit. *Ex quo intelligitur, tam eum qui Exercitia tradit, quam eum, qui illa accipit, in eam curam sedulo et obnixe incumbere totos debere, ut intra præscriptos a S. Patre nostro fines accurate se contineant, minimas et nullius in speciem momenti regulas, additiones, notationes instructionesve studiose observent ; verbo ut complectar omnia, minutissimos etiam apices quoslibet suo non carere pretio existiment, ut securi sint, nihil se ex parte sua posuisse obstaculi, quo minus mensuram fructuum bonam, et consertam et coagitatam, et supereffluentem sacer Exercitiorum secessus effundat in sinum suum, talem denique, qualem in tot alios primis præsertim annis, et* Ignatio *adhuc vivente, effudit non minore abundantia quam utilitate. Sed nunc quot quantaque commoda invexerit in orbem terrarum, insigniuṃ istorum Exercitiorum usus, dispiciamus.*

Ingentes certe ea attulerunt fructus Societati Jesu,

78. *Ribadeneira lib. I, cap.* VIII, de illorum usu, *ait,* atque utilitate dicamus ; primo illis ipsis Societatis nostræ institutionem acceptam ferre debemus. Omnes enim ferme primos illos Patres, quos instituendæ Societatis adjutores et socios habuit Ignatius, per Exercitia ad perfectionis studium, mundique despicientiam excitavit. Qui postea consecuti sunt, et in Societatem jam stabilitam in-

gressi, viri vel doctrina, vel ingenio, vel nobilitate, vel aliis naturæ fortunæque ornamentis insignes, maxima ex parte Exercitiis hujusmodi, ad hoc vitæ genus amplectendum, adducti sunt. *Et in Examine Matritensi anni* 1595, *de quo inferius* § 92 *dicam plura, quodque juratus subivit, affirmat*, quod Deus illum docuerit, cum adhuc litteris operam non dedisset, dederitque ei medium Exercitiorum spiritualium, quo medio omnes suos primos socios lucratus est, multosque alios ex iis, qui illum postea secuti sunt ; multos etiam, qui alios Ordines sunt ingressi ; multos præterea seculares, qui vitam emendarunt. *Rem exemplis illustremus. Ac de primis quidem novem* S. Ignatii *sociis, e quibus Ordinem postea a se institutum formavit, consuli potest Historia Exercitiorum, quam modo citabam. lib.* II, *a num.* 4. *Circa alios vero, qui illos deinde subsecuti sunt, placet obiter ex eadem Historia delibare exempla. Itaque designato libro num.* 16 *ponitur epistola* S. Ignatii *ad Emmanuelem Mionam, sacerdotem gravissimum, sibique quondam dum Compluti ageret, conscientiæ arbitrum, qua impensissime virum ad Exercitia cohortatus, eum tulit fructum, ut illum sibi adjunxerit. Num.* 19 *occurrunt Jacobus et Stephanus de Eguia fratres, per Exercitia ad Societatem adducti. Ibidem num.* 20 *Jacobus Hosius, dum Exercitia inchoat, eadem quidem ut suspecta examinat ; sed degustatis sacris hisce epulis ab* Ignatio *sibi propositis, tantum abfuit, ut in iis veneni quidquam deprehenderit, ut cœlestium desiderio flagrans, terrenis nuntium remiserit, et Sancto sese adjunxerit.*

79. *De Francisco Strada quid dicam ? Libro* III, viros magnos

num. 4 de illo habemus, quod vel uno Ignatii *congressu colloquioque, dum militandi studio Neapolim peteret, ad militiam sacram derepente sit conversus ; Sanctumque e Monte Casino redeuntem comitatus in Urbem, Exercitiis spiritualibus instructus sit, et, demortuo Hosio non impar, in locum ipsius* Ignatio, *vitæ et laborum particeps ac socius, accesserit. Huic adde ex dictæ Historiæ lib.* IV, *num.* 4. *Antonium Araozium Cantabrum, magno ingenio et animo juvenem ; qui dum jam theologiæ doctor ex Hispania in Urbem accessisset, ut Sancto se, cui sanguine erat conjunctus, vitæ quoque instituto conjungeret : diebus aliquot in Exercitiorum usu positis, rerum caducarum inanitatem perspexit, atque ad propinqui sui familiam transiit. De Joanne Polanco, et Andrea Frusio agitur ibidem num.* 18 ; *de Marco Lainio, Jacobi fratre, num.* 19; *qui dum ex pia simplicitate diu multumque fuisset sollicitus, ne frater sequendo* Ignatium *in hæresim incideret, ad Urbem accessit revisendi fratris studio, ejusque monitis atque consiliis piarum meditatione rerum ex* Ignatii *præscripto excultus, Societati nomen dedit, quam suspectam antea habuerat ; de cujus felici morte et apparitione ibidem agitur. Proximus illi nobis se offert num.* 20 *Æmilianus Loyola, sancti Patris Ignatii ex fratre nepos ; qui quamquam eo Romam diverterat consilio, ut aulæ potius quam Societati se daret, oborta tamen Exercitiorum postea luce, defæcatiore oculo rem inspexit, consilium mutavit, et Sancto se totum tradidit, factus ex nepote ejusdem filius.*

ad eam aggregando.

80. *Nec vero præterierim Jacobum Mironem, felicissimos Parisiis ope istarum Exercitationum etiam*

successus nactum ; nam ad illas admissus, Societati se addixit, tanta cum sui tum rerum humanarum despicientia, ut et ætatem, et doctrinam, et parentum, quorum unicus erat filius hereditatem postponenda sibi putaverit ; maximam postea apud Lusitanos nominis existimationem consecutus ; uti videre est libro citato, num, 23. *Quod si inde ad numerum* 36 *pergamus, inveniemus ibi Nuntium Coloniensem a Fabro divinis rebus per usitatas commentationes institutum, ac deinde Societati aggregatum fuisse. Principem inter tam varios ac multos sacrorum istorum Exercitiorum partus locum non immerito sibi vendicat Petrus Canisius, patria Noviomagensis in Gueldria, Belgii provincia, magnus ille Germanorum difficillimis temporibus apostolus, hæreticorum malleus, rebusque pro Ecclesia Dei fortiter gestis ubique notissimus ; de quo plura deducit assignata jam sæpius Historia eodem libro* IV, *num.* 37. *Roma vidit publicum egregiæ pœnitentiæ exemplum in Joanne Alphonso Victoria, natione Hispano. Is, Societate nondum inita, ab Exercitiorum recessu digressus, nova se vincendi cupiditate exarsit : nam in ipsis Bacchanalibus, cum personati homines vanis spectaculis implent omnia, ipse sacco indutus, et pœnitentis amictu per celeberrimas prodire vias cœpit, flagrisque in terga sævire adeo pertinaciter et inclementer, ut non prius diverberandi sui finem faceret, quam totus undique cruore redundans, ad ædem nostram longo circuitu perveniret. Quo primo edito tirocinio, Societati nomen et vitam dedit : ex lib.* VI, *num.* 16. *Verum hic vela contrahamus, ne longius, quam par est, præsens instituti ratio nos*

abducat. Alia exempla dabit locis variis eadem Historia. Interim satis superque ex jam dictis manet superior explanatus Petri Ribadeneira locus, quamtum videlicet et Societatis institutio, ejusdemque propagatio debeant Exercitiis sancti Patris nostri.

Magna spiritus commoda

81. Neque vero tantum, *inquit Ribadeneira lib.* I, *cap.* VIII, hoc beneficium Religionis nostræ solummodo proprium est, sed etiam commune cum ceteris. Meditandi enim hujusmodi ratio cœbinia multa refersit. Multos religiosos viros labantes, in suscepto consilio confirmavit : solutos vagosque vinculis disciplinæ severioris adstrinxit. Non tamen religionum spatiis eorum fructus circumscribitur : omne enim hominum genus, statum, officium, ætatem, vitæque rationem comprehendunt *etc. Quæ ne quis hyperbolice potius, quam vere pronuntiata existimet, en tibi nonnulla exempla, quibus illa confirmentur, ex laudati Diertinsii Historia. Ut primos itaque Exercitiorum fructus, et morum apud Minoressanos mutationem tacitus prætream, de qua re agit idem auctor lib. I, num.* 7, *juvat in memoriam revocare, quæ is refert lib.* IV, *num.* 12, *de uno atque altero sacrarum virginum cœnobio, quibus incredibilis quidam religiosæ perfectionis ardor est injectus ; in iisque revocata, quæ pene jam ceciderat, disciplina. Spiræ vicarius episcopi, nostris jam antea Exercitationibus institutus, tanto contra concubinas studio flagrabat, ut bello palam eis indicto, aut universas se spopondérit ejecturum, aut munus suum cito depositurum, prout ibidem traditur num.* 26. *En mox num.* 27 *occurrit Moguntiæ homo quidam, professione olim monachus : quem Faber eo profectus, usu exerci-*

tationeque rerum divinarum, ad purum et castum religionis cultum, ex hæresum labe ac corruptela traduxit. Ibidem laudatus Faber episcopos duos Exercitiis imbuit, juxta ea, quæ habes num. 34. *De episcopo Augustano agitur num.* 49.

per eadem Exercitia

82. *Quid, quod Antonio Araozio et Jacobo Eguiæ in Hispanium remissis, et Barcinonem delatis, tanta e vestigio se obtulerit messis, ut reliquum anni tempus in una illa civitate fovenda juvadaque consumptum sit? Et vero proregis ac proreginæ, ducis Cardonæ, ejusque conjugis; episcopi, præfectique Neapolitani maris, et id genus aliorum principum benevolentiam, et egregiam voluntatem erga Societatem experti, vel nobilissimos viros ex strepitu rerum humanarum ad sacri Exercitiorum secessus otium sevocare ausi sunt. Quos inter cum esset etiam is, quem dicebam, præfectus; cumque, ut liberius cœlesti illi contemplationi vacaret, salutationibus utique amicorum, et curarum molestiis solutus, in aliud se transtulisset domicilium ab interventoribus vacuum; illud certe memorabile: quod istius domicilii se janitorem velle agere, ne quis talem virum tali munere occupatum interpellaret, ipse jactasse memoretur prorex Franciscus Borgia. Tanta denique erat competitorum pia Exercitatione imbuendorum frequentia, ut ne decem quidem institutores satis viderentur esse facturi, sicut te docebit eadem Historia loco citato, num.* 28. *De episcopo autem Placentino, ad mores dignitati suæ convenientiores per Exercitia potissimum hebdomadæ primæ traducto, uti et de egregiis fructibus inde consecutis instruet te pluribus Diertinsius lib. VII. a num.* 20.

aliis Ecclesiæ Catholicæ locis

83. *Ad Italiam quod attinet ; Franciscus Strada in litteris ad SS. Ignatium et Franciscum Xaverium Hispanice datis Brixiæ in hospitali incurabilium anno* 1540, *tertia Januarii vel Februarii, narrat se dedisse Exercitia quatuor Doctoribus præcipuis illius oppidi, et post illa quæsivisse ex ipsis, an parati essent mendicandum amore Christi in eodem oppido : illos vero magnanimiter respondisse, quod ad illud, et multo majora essent paratissimi. Itaque se, ut magis glorificetur Deus, instituta processione, pauperem cum iisdem Doctoribus mendicasse toto oppido, acceptisque undique eleemosynis ingressum cum ipsis hospitale, et eleemosynas divisisse in pauperes. Tum subdit de Doctoribus :* Post tantam talemque mortificationem, quod creditis gaudium secum domum reportasse ? Unus ex illis... mecum loquens inquit : Tanta sum jucunditate repletus, tanta miri fervoris dulcedine sum perfusus, ut continere me non valeam, quin præ gaudii magnitudine exterius in vocem exultationis prorumpam : cutis, inquit, me non capit : in cellam propero, ut vehementiam spiritus liceat evaporare. Quo cum pervenisset (ut postea ipse mihi retulit) maximum in fletum est resolutus, totusque pacatus effectus, experimentaliter recognovit, quid utilitatis sit se ipsum vincere, utque abnegare, juxta Salvatoris nostri sententiam. Dum vellem discedere, maritus sororis archipresbyteri... se obtulit ad petendam eleemosynam cum aliis, seque id facturum bis in septimana... Plus quam sexaginta mulieres... mihi importunæ erant, ut sibi darem... Exercitia ; allegando, quod tam ipsæ etiam haberent animas, quam viri. *Hac in fide*

monumentorum nostrorum Romanorum ; ex quibus deprompta sunt.

personis facta recensentur.

84. *Polancus cum Pistorium venisset, Etruriæ urbem, præsulem loci eumdemque Cardinalem Robertum Puccium sanctis meditationibus instituit ; rogantemque, ut de muneris sui cura sibi aliquid ederetur, et scriptis instruxit et verbis. Itaque jam sua sponte pius pastor incensus, acriores concepit ignes, et præter illorum temporum mores, ad prædicandum Dei verbum induxit animum ingenti gregis commodo, secunda populi admurmuratione ; uti liquet ex lib.* V, *num.* 13, *ubi res gesta innectitur anno* 1546. *At nunc Siciliam inspiciamus, quæ magnis Exercitiorum emolumentis non caruit. Nam Hieronymus Domeneccus Messanæ per sacerdotem externum piis jam meditationibus prospexit ; quos inter ipse quemdam baronis filium, cujus ferociam ne triremes quidem domare poterant, ope Exercitiorum ad mansuetudinem traduxit : vide ibidem num.* 22 *et* 23. *De variis in Sicilia feminarum collegiis, quæ hisce orationis Exercitiis ad pietatem incensa sunt ; deque fluxis earum moribus coercitis, multis locis, Agrigenti Panormique præsertim, mentio fit ibidem num.* 3. *Suam quoque in sacra hac Exercitiorum semente partem habuit Belgium nostrum : nam Strada* primum Lovaniensis academiæ cancellarium Ruardum Tapperum aggressus, virum sane gravem ac doctum, eumdemque ad pietatem propensum, suis sermonibus impulit, ut in exercendo de more spiritu ternas quotidie horas ex summis ereptas occupationibus collocaret, *auctore Orlandino lib.* IV, *num.* 39. *Et mox num.* 40. Deinde, *inquit,* sacerdotem quem-

dam Cornelium Vishavæum, artium jam magistrum, et theologicis satis imbutum, sua jam sponte ad Societatem incumbentem, iisdem meditationibus propius ursit. *De Theodorico Hesio, totum se Fabro permittente, agitur ibid. num.* 50. Inter ceteros, qui se Lovanii ad Societatis orandi commentandique disciplinam salutariter exercueruut, primas tulit Ludovicus Blosius abbas Letiensis ; *sicut dicitur lib.* XIII, *num.* 31 ; *ubi etiam de ejus in Societatem studio. Porro quæ ad Exercitia a Blosio obita, ac Lætiensibus tradita spectant, invenies in ejus Vita apud nos ad 7 Januarii, cap.* XVII, *a num.* 59.

§ IX. Exercitiorum liber impugnatus ; examinari jussus a Sede Apostolica ; deinde ab eadem approbatus ac laudatus ejusdem libri vindiciæ.

Exercitia multis persecutionibus exagitata,

A primo pene tempore, quo sacer ille Exercitiorum spiritualium Hercules in lucem prodiit, adeo multa et gravia sustinuit, ut parum abfuerit, quin in ipsis, ut ita dicam, cunis suffocaretur, nisi Deus, qui eorum auctor fuerat primarius, protector etiam eorum dignatus fuisset esse singularis. Et vero quot quantæque adversus librum illum concitatæ sunt persecutiones ! Prima fuit Complutensis. Secunda, Salmanticensis prima. Tertia, Parisiensis. Quarta, Veneta. Quinta, Romana teterrina. Sexta, Parmensis et Placentina. Septima, Lusitana. Octava, Toletana prima. Nona, Salmanticensis secunda.

Decima, Complutensis secunda. Undecima, Toletana secunda. Duodecima, Toletana tertia : quas hoc ordine recenset Diertinsius in Indice ad suam Historiam Exercitionum, voce Persecutio. *Qui antiquiores adire auctores desiderat, consulat Ribadeneiram, lib.* I, *cap.* XIV *et* XV ; *lib.* II, *cap.* II *et* XIV ; *lib.* IV, *cap.* IV ; *Maffeium lib.* I, *cap.* XVII ; *lib.* II, *cap.* VIII ; *Orlandinum lib.* I, *a num.* 54 ; *lib.* IV, *num.* 17 ; *lib.* V, *num.* 54 ; *lib.* VII, *a num.* 51 ; *lib.* VIII, *a num.* 45 *et a num.* 55 ; *lib.* XI, *a num.* 57 ; *lib.* XIII, *num.* 33.

etiam postquam eadem approbasset Christi Vicarius,

86. *Quousque autem intemperiei et amaritudinis conceptum adversus Exercitia odium proruperit, etiam tunc temporis, quando Sedis Apostolicæ oraculo fuerant comprobata, audi ex nostris monumentis Romanis ; in quibus sic notatur : Hic* exstat in archivio scriptum Fratris... ex Ordine... ad archiepiscopum Toletanum Joannem Siliceum, contra Exercitia jam approbata a Sede Apostolica. *Scripti illius principium mox subditur atque sequens e litteris Apostolicis, quibus Paulus PP. III Exercitia approbat, producitur textus* : Cum filius Ignatius de Loyola, Præpositus Generalis Societatis Jesu, per Nos in alma Urbe nostra erectæ, et per Nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam Documenta sive Exercitia spiritualia, ex sacris Scripturis, et vitæ spiritualis experimentis elicita, composuerit ; *sequitur notatio Hispanica, qua dicitur, quod iste* Ignatius, *secundum id, quod fama fert, notatus fuerit in Inquisitione tanquam hæreticus, ex Illuminatis unus : quod Romam profugerit, ut evaderet Inquisitionem et Inquisitores. Bene scio, ait benignus scilicet ille notationis auc-*

tor, quod Deus ex lapidibus possit facere filios Abrahæ, et quod de Saulo persecutore Ecclesiæ fecerit vas electionis : Et percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.

a quodam fratre proscinduntur amarulentis censuris,

87. *Deinde a furioso illo in subsidium suæ adversus Exercitia, eorumque auctorem intemperiei advocatur ille textus :* Hæc Documenta ac spiritualia Exercitia, quæ non tam a libris quam ab unctione sancti Spiritus, et ab interna experientia et usu tractandorum animorum edoctus noster in Christo Pater magister Ignatius de Loyola, Societatis nostræ institutor et Præpositus Generalis composuit, ab idiomate Hispano in Latinum duobus modis sunt versa. *Verba sunt præfatiunculæ, a quodam de Societate Jesu compositæ, quæ typis edita est ante Exercitia, et* Romæ 6 Id. Augusti 1548 *signata; postquam Pontifex ea laudasset, ut* pietate ac sanctitate plena : *ac proin auctor ille tunc recte dixit, quæ de* unctione sancti Spiritus *dixit. Non tulit hoc Frater ille, de quo supra : nam iste* Ignatius, *prout observat, fuit Hispanus, et tam leviter tinctus fuit in litteris, ut nec gnarus fuerit nec sufficiens ad scribenda ista Exercitia ac Documenta Latine; sed vulgari et Hispanica lingua. Magis item notandum et expendendum monet circa ea quæ dicuntur de experientia interna, et unctione Spiritus sancti etc. ; illa sapere non parum fontem eorum, quos Dexados vocat (et quos ego* Relictos *interpretor) et Illuminatorum : qui, relicta ac postposita revelatione, in libris se remittunt ac tradunt isti rei, quam Spiritus illis dicit in pectore, et tenent pro re infallibili, quod semper cum illis loquatur Spiritus Dei :* Quod tamen est contra illud : Nolite omni spiritui credere ; sed probate spiritus, an ex Deo sint.

88. *Virulento denique et felle tincto istius male feriati ac falsi Fratris calamo novam furendi ansam præbuit sequens, quem bacchantis in morem impetiit, textus :* Præpositus Generalis Societatis Jesu etc. ; quidam de Societate Jesu etc. *Certe, inquit Frater ille, iste titulus et cognomentum est* superbum et schismaticum, et non parum injuriosum omni populo Christiano. *Et mox Latine subdit :* Nam cum (Evangelio teste) non sint nec possint esse nisi duæ societates, altera Societas Jesu, altera societas diaboli ; si isti, et tantum isti, nominantur et sunt de Societate Jesu, superest, reliquos omnes et esse, et nominari de societate diaboli. *Hæc ille. Tum aggreditur ipsa Exercitia ; quæ nonnullis locis arguit, et variis notat censuris, etiam* superstitionis, *imo hæreseos. Hoc totum scriptum, et singula in eo contenta, singulatim, valide, accurateque refutasse Doctorem Torres scripto, anno* 1554, *die* 2 *Januarii dato ; testatur P. Ignatius Pinius, qui hasce Fratris istius notas transcripsit Romæ, et huc misit, indicans, scriptum hoc annexum ibi exstare priori scripto ; monensque, se neque objectiones Fratris.., neque refutationes Doctoris Torres exhibere, partim quia pleræque objectiones istæ describendi laborem non merentur ; partim quia, ubi speciem quamdam difficultatis habent, copiose confutatæ leguntur apud Suarezium. Ejusdem Doctoris Torres Apologiam generalem Exercitiorum, eodem anno ac die subscriptam adversus hunc aliosque illius temporis obtrectatores, paulo post exhibet dictus Pater, a se etiam Romæ transcriptam ; de qua nos inferius. Exstat hic etiam multo longior Apologia, inquit,*

uti et ipsa Jesu Societas.

patris Hieronymi Natalis tota autographa, qua singula a Fratre supradicto objecta, graviter, prolixeque refutat. Hæc ille.

Observationes quædam circa istum furiosum,

89. *At observemus* 1. *Fratrem illum superius e textu Pontificis summi truncasse* τὸ dilectus : *nam* Cum, *inquit Paulus III,* dilectus filius Ignatius *etc. An id truncavit Frater ex scrupulo Pharisaico?* 2. *Quando cognomentum Societatis traducit tanquam* superbum *et* schismaticum ; *vel sui oblitus, vel maxime temerarius fuit : nam initio verba textus, in quo habetur illud cognomentum, citavit ut verba Pontificis, appellantis Societatem hoc nomine.* 3. *Quisquis Frater ille fuerit ; plane redolet ingenium Fratris Melchioris Cani, qui quot quantaque moverit, ut pusillam Societatem pessime traduceret, debuccinans ejusdem sectatores esse præcursores Antichristi, invenies apud Orlandinum lib.* VIII, *num.* 46 *; uti et varias criminationes, Societati ab isto Fratre impactas. Certe quæ Frater ille anonymus superius deblaterabat de duplici societate, multum habent affinitatis cum verbis Melchioris Cani lib.* IV *de Locis Theologicis cap.* II *; quæ dabimus inferius occasione eorum, qui nomen Societatis nostræ vel impugnarunt, vel improbarunt.*

et libelli Exercitiorum approbationes

90. *Verumenimvero indignissimum est, ita fœde Exercitia a Fratre isto anonymo notata esse, postquam a Sede Apostolica solenni diplomate antea fuerant examinata, laudata, et approbata. Etenim Franciscus Borgia, Dux Gandiæ curavit Pontificiam confirmationem libelli Exerciliorum, et indulgentiam noxarum, illa obituris : vide Orlandinum lib.* VI, *num* 75, *ad annum* 1446 *; donec post maturam examinationem, anno* 1548, *a supplicatione*

Ducis secundo, die 31 *Julii prodiit diploma Pauli PP. III. Rei porro examen commissum fuerat Joanni Alvaro de Toleto Cardinali Burgensi, Ordinis Prædicatorum ; Philippo Archinto, Pontificis in Urbe vicario, atque Ægidio Foscarario sacri Palatii Magistro, ex eodem Ordine Prædicatorum : quibus* dupliciter ex Hispanico idiomate Latine liber conversus, inspiciendus est traditus : qui utrumque exemplar, ne vocula quidem mutata maxime commendarunt ; *inquit Orlandinus lib.* VIII, *num.* 1 ; *tametsi* ea versio, quam ediderat Andreas Frusius non tam verba verbis, ut altera ; sed fideliter sententiam reddens, usui aptior, ac prælo dignior visa est ; *ibid. num.* 2.

ex originali exemplo

91. *Consuluit P. Ignatius Pinius* Originale primæ translationis Latinæ Exercitiorum S. Ignatii, *et in fine legit approbationes sequentes, item originales* : Legimus omnia in volumine hoc digesta ; nobisque valde placuerunt, et ad animarum salutem imprimis conducibilia sunt visa. I. Cardinalis Burgen. Non poterunt tam sancta Exercitia non maximum commodum præstare cuilibet studioso ; ideo obviis etiam ulnis amplectenda sunt. F. Ægidius Foscararius Magister sacri Palatii. Concedimus ut opus hoc omni laude dignum et Christianæ professioni valde proficuum imprimatur. Ph. Vicarius.

Romæ transcriptas.

92. *Prædictus Pater post istum titulum :* Originale secundæ translationis Latinæ, ex quo exemplaria excusa prodierunt : *subdit, ad calcem haberi approbationes originales, quas exscribere se addit :* Legimus spiritualia hæc Exercitia, placentque nobis valde, et digna judicamus, quæ ab omnibus

orthodoxæ fidei cultoribus recipiantur et magni fiant. I. Cardinalis Burgen. Cum nequeat subsistere diu Christiana religio sine exercitiis et meditationibus aliquibus spiritualibus, in meditatione enim, inquit Vates, exardescit anima mea ; nullas arbitror magis opportunas iis, quæ procul dubio ex Scripturarum studiis, et longo rerum usu, natæ sunt. F. Ægidius Foscararius Magister sacri Palatii. Concedimus ut opus hoc omni laude dignum et Christianæ professioni valde proficuum imprimatur. Ph. Vicarius. *Approbationes has, uti et superiores, haberi in originali eodem ordine quo eas inde descripsit, idem Pinius testatur : qui ordo differt in impressis. Hasce approbationes subsecuta est Apostolica Pauli III, anno, ut dicebam,* 1548, *quæ incipit :* Pastorali officii, *et typis edita habetur in libello Exercitiorum, nec non apud Orlandinum eodem lib.* VIII, *num.* 1.

Eum laudat impense Sedes Apostolica ;

93. *Laudat ibi Christi Vicarius* Exercitia... pietate et sanctitate plena, et ad ædificationem, et spiritualem profectum fidelium valde utilia, et salubria... Debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, et ab ipso instituta Societas... in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant, et ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt non immerito, *inquit Pontifex,* habentes... documenta et Exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium, ex certa scientia nostra approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus : hortantes plurimum in Domino omnes et singulos utriusque sexus Christi Fideles ubilibet constitutos, ut tam

piis documentis et Exercitiis uti, et illis instrui devote velint : nec non concedentes, ut hujusmodi documenta et spiritualia Exercitia imprimi... libere et licite valeant *etc.*

alii defendunt.

94. *Doctor Vergara in sua epistola ad* S. Ignatium *data, circa Exercitia spiritualia ita loquitur :* Dico, quod, dicere et affirmare, ea continere rem hæreticam, erroneam, scandalosam, aut male sonantem, aut, quemlibet alium errorem, qui non possit aut debeat attribui typographo, error sit Lutheranorum ? cum Vicarius Christi contrarium determinarit. *Et Doctor Cuesta in litteris item ad* S. Ignatium *directis circa Exercitia spiritualia*, Censeo, *ait*, doctrinam Catholicam, et sanctam, et theologicam positam esse in isto opere, et Exercitiis ; et illos, qui conformiter ad illa, quæ in libro habentur, operati fuerint, et se exercuerint, necessario debere haurire magnum progressum spiritualem, *Epistolæ illæ ambæ in manibus sunt inter alia Romana monumenta, e quarum contextu Hispanico illa huc transtuli.* Litteræ P. Hieronymi Natalis, Societatis Jesu in Hispaniis Commissarii Generalis ad P. Antonium Araoz, ejusdem Societatis in Hispania Provincialem, contra eos externos, qui ibi revocabant in dubium Exercitia spiritualia, et Institutum Societatis, datæ sunt Cordubæ *(mense)* Januarii 1554, *uti habet notatio Pinii monumentis nostris Romanis inserta. Ex his intelligitur, quanto molimine Exercitiorum spiritualium liber sit propugnatus contra infensissimos ejusdem hostes, etiam tunc, quanto a Sede Apostolica fuerat comprobatus. Qua ut melius pateant, aliqua delibo ex Orlandino lib.* XIII, *num.* 33, *ad annum* 1553.

Bellum Exercitiis Toleti indictum, egregios pro eis vindices excitavit.

95. Hujus, *inquit*, exitu anni Toletana in urbe, lateque per regnum gravis adversus divinum illum Exercitiorum libellum exoriri cœpit procella. Silicæi vetus offensio, tanquam male curatum ulcus sub cicatrice vivebat. Melchior Canus Canariensi abdicato episcopatu, cum apud Carolum ac Principem offendisset, suspicionem in Araozium velut sibi obstantem intendit. Horum et auctoritate nixus, et voluntatibus obsecundans (ut est creditum) Thomas Pedroccius bellum Exercitiis indixit... multa ex eo libello quasi temere effutita colligit : alia, quæ piæ aures Catholicæque respuerent : quædam etiam... quæ perspicuam continerent hæresim, et digna essent censoria virga. Quæ omnia scripto comprehensa, Silicæo, cujus erat e familia, et sacris Quæsitoribus tradit..... Tanto igitur malo Araozius occursurus... Doctores magni nominis rogat, suam ut et ipsi de eo opusculo sententiam scripto edant, et suo chirographo subsignent. Quod præ ceteris Alfonsus Vergata Conchensis canonicus, pietate ac doctrina inclytus, Doctorque Joannes Costa, et Bartholomæus Torres, ambo deinde episcopi, ille Legionensis, hic Canariensis; cujus etiam exstant insignia de sanctissima Trinitate monumenta, luculenter fecere. Ac Torres quidem multa super ea re edidit scripta, ex quibus juvat hic ad doctrinam multiplicem unius partem adscribere. *At de hac agetur § proximo.*

§ X. Aliæ Exercitiorum vindiciæ elogia.

Doctor Bartholomæus Torres

In promptu est laudati Doctoris Torres sententia de Exercitiis, ex Hispano Romani nostri tabularii exemplo transcripta ab Ignatio Pinio. Verum quia partem magnam Latine vertit, et Historiæ Societatis nostræ intexuit Orlandinus lib. XIII, *a num.* 34 ; *eam huc transferam, prout ibi exstat :* Testis est Deus..., quam ex voluntate mea ceciderit, ut de Societatis Jesu Exercitiis sententia mea postularetur. Cupio enim simpliciter et Christiane, quid hac in re sentiam, palam facere toti orbi terrarum. Ac primum, ne quis existimet ex privato me quopiam affectu loqui ; aio me hominem de Societate Jesu non esse : quamquam si serio essem virtutis cupidus, dudum in ea, vel in alia sanctarum religionum versarer. Aio deinde, quamvis doctorum e numero ipse sim indoctissimus, posse me tamen satis interrogationi propositæ respondere : cum et Societatem ab ejus exortu noverim, et pridem Salmanticæ cum Ignatio, deinde cum ejus disciplinæ alumnis perfamiliariter egerim, diligenter observans, quo res Ordinis hujus evaderent, oculis assidue ipsa in facta conjectis, quæ minime patiuntur diuturnam fieri fallaciam. Aio præterea, ex qua die sanctam hanc Societatem novi, nullum umquam errorem, crimenve compertum in hominibus, qui quidem vere ex ea essent. Nam rerum imperiti, ubi de sacerdote quopiam forte rumor minus commodus exiit, de Societate eum esse loquuntur,

egregia apologia

97. *His præmissis, de Exercitiis ita disserit :* Super hæc, nego quempiam vere ac perfecte Exercitiorum posse vim æstimare, nisi in iis se ipse exerceat. Etenim cum tota referuntur ad inserendas virtutes in animis, et vitia extirpanda ; nemo est, qui possit virtutis percipere vim, gustumque sentire, nisi in ea prius elaboret. Vidi ipsemet homines doctos, qui Exercitiorum res, cum tam claræ Catholicæque sint, ex Evangelio depromptæ, sanctisque doctoribus, intelligere non possent ; quas tamen, qui eas ad usum referunt, negotio nullo intelligunt. Nimirum aliud longe est, scire litteras, ac res percipere spiritus quæ præter litteras actionem, orationisque usum, ac virtutum postulant ceterarum. Me quidem profiteor Compluti ad eam formam exercitum, ac Deum testor, triginta annis, quibus versor in studiis sapientiæ, et permultis, quibus theologiam doceo, numquam ad meam utilitatem didicisse tantum, quantum me Exercitia diebus paucis docuerunt. Quod si cuiquam doctorum, cui sua placet scientia, mirum fortasse accidat ; experimentum appello : tentet idem, atque existimabit idem. Neque in obscuro est ratio, quod priora videlicet studia ad docendum, Exercitia vero ad agendum referebam : valdeque interest, scire ut doceas ; ac scire, ut facias.

defendit

98. *Multiplices vero fructus, qui inde proveniunt, mox describens.* Addo, *inquit,* cognitos mihi permultos, qui Exercitationes illas suscepere, multisque me meorum auditorum cum religiosis tum secularibus persuasisse, ut susciperent : nec tamen cognitum quempiam, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit, palamque prædicaret,

nihil omnino e mortalibus rebus se voluisse iis antelatum. Atque utinam, quanti est ille thesaurus, tanti æstimare nossemus ! Nam cum tanti sit momenti oratio ac meditatio, propter rationem ac viam, quæ commodissima ibi traditur ; multi per ea plus brevi consequuntur, quam longo alii tempore ac labore, eo præsidio destituti. In summa, qui cupiat nosse, quid Exercitia sint, pronuntio aliud nihil esse, quam considerare attento et quieto animo capita fidei, legem ac præcepta Dei, ejus denique beneficia, vitam et mortem Christi : recognoscere anteactam vitam, statuere de futura : hostem vero gentis humanæ, cum videat ingentia eorum ad pietatem emolumenta, machinas admovere omnes, ut e rerum natura tollat. Verum vel inde apparet, negotium esse divinum, quod insectationibus proficit, quantoque acrius oppugnatur, tanto fortius convalescit.

99. *Deinde vindicem egregium se præstat laudatus Doctor, armis ex Sedis Apostolicæ auctoritate promptis.* Simulque pronuntio, *inquit,* Exercitia, quæque in iis continentur, universa et singula auctoritate Apostolica comprobata esse, adhortante insuper Pontifice Fideles, ut iis utantur : planeque indignum esse viro sapiente, affirmare Pontificem id comprobare, et ad id exhortari fideles, quod errores contineat. Nec dubito, quin, si homines Societatis, quibus pro Christi amore gratæ sunt ignominiæ, ad sacrum Quæsitorum concilium adversariorum deferrent nomina, in eos severe animadverteretur. Ceterum cum Sedes Apostolica Exercitia comprobarit, aio ac pronuntio, nemini fas esse, asserere in iis errores esse, neque id libellum

agere, ut emendentur. Verum si quid forte (quod tamen non est) difficile deprehenderetur, id modo curandum, ut declaretur. Omnia ergo, quæ in iis sunt, vera et Catholica sunt, et contraria iis, errores. Quæ vero objiciuntur, ut alio loco singillatim refutans ostendo, plane inania, multa etiam ridicula esse confirmo.

Exercitiorum,

100. *Ita locutus ex Doctore Torres Orlandinus, pluribus aliis prætermissis, ista ex eodem Doctore delibat :* Illud, inquit, postquam nomen meum huic disputationi subscripseram, mihi succurrit. Qui se deprehendisse in Exercitiis errores dictitant, sine dubio diligentiam in iis expendendis adhibuere : at non minorem adhibuit Pontifex. At isti condemnant, Pontifex commendat. Respondeant ipsimet, utrius auctoritatem me deceat sequi. Hæc ratio mea, inquit, sententia quemvis, qui modo sapiat, cohibere potest, ne posthac, nisi ad commendationem libelli hujus verbum audeat facere. *Ceterum dissertatio ista in nostro apographo Hispanico notatur* secunda Januarii anno 1554. *Qui eam e nostro tabulario Romano transcripsit, et huc misit.* Exstat hic, *inquit,* præcedentis scripti prolixa vindicatio, seu Responsio ad quamdam nonnullorum objectionem, ab eodem Doctore Torres data 4 Martii, ejusdem anni. Summam accipe :

et objectionibus respondet.

101. Postquam proposuit hanc nonnullorum objectionem *(quæ ex Hispanico reddita, Latine sic sonat)* « Dicunt aliqui, Papam non omne illud, » quod approbat et confirmat, etiamsi sit circa » mores Christianos, intendere id facere tanquam » Papam, neque ut habeatur tanquam articulus » fidei. » Respondet, se non dixisse, quod omnia et

singula in Exercitiis contenta, sint ARTICULI FIDEI, seu PROPOSITIONES DE FIDE ; sed quod sint CATHOLICA, seu quod nihil in iis contineatur erroneum : quodque dicere contrarium (ut dixerunt nonnulli) sit maxima temeritas, et error qui Lutheri doctrinam sapit. Subdit, quod intentio Pontificis colligi debeat ex ipsius verbis : ex verbis autem Pontificis pateat, quod omnia et singula in Exercitiis contenta approbarit et tanquam Pontifex, et ut Catholica : Cum dicat 1. OMNIA ET SINGULA IN EIS CONTENTA, AUCTORITATE PRÆDICTA APPROBAMUS, COLLAUDAMUS, AC PRÆSENTIS SCRIPTI PATROCINIO COMMUNIMUS. 2. EX CERTA SCIENTIA. 3. Consultus fuerat, ut patet ex eadem Bulla, an Exercitia essent APPROBATIONE ET LAUDE DIGNA, adeoque Catholica. 4. EA EXAMINARI FECIT a viris doctis, auctoritate, litteris, religione conspicuis ; quales fuerunt duo Patres Dominicani ; et hac Diligentia adhibita, Exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis contenta approbavit et collaudavit, ut Catholica. 5. Pontifex HORTATUR PLURIMUM OMNES CHRISTI FIDELES, UT TAM PIIS DOCUMENTIS ET EXERCITIIS UTI, ET IIS INSTRUI DEVOTE VELINT. Ex his ostendit quod Pontifex omnia approbarit et tanquam Pontifex et ut Catholica. Concludit denique 1. Etsi Pontifex ea non approbasset ut Pontifex, sed ut Doctor privatus, temerarium fore, si quis contrarium diceret, sine evidentia, et certitudine maxima. 2. Cum Pontifex omnia et singula approbarit, ut Pontifex, et ut Catholica ; « Repeto, in- » quit, quod dixi, omnia et singula in Exercitiis » contenta, esse Catholica ; et contrarium dicere » esse errorem Lutheranorum. » Quam in rem plura adjungit. *Hæc ille ex Doctore Torres.*

Quid de Exercitiis senserit Mancius.

102. *Orlandinus, postquam dedisset textum ex Doctore Torres depromptum, et paulo ante a nobis prolatum, loco citato num.* 38, Vulgatis, *ait*, hisce aliorumque Doctorum scriptis, rumor paulatim vulgi omnis, conatusque adversariorum per se consenuit. Plurimum deinde profuit ad eam rem Mancii quoque sententia, qui sacro Prædicatorum ex Ordine vir magni nominis in Hispania, Complutique nobilis professor divinæ sapientiæ e principe sella : idemque cum perstudiosus familiæ nostræ, tum ipsi Præsuli Toletano percarus erat. Cui cum Præsul ipse legendum Exercitiorum volumen, expendendumque tradidisset ; is eo accurate perlecto per dies aliquot, libera voce respondit, nihil se in eo deprehendisse censoria nota vel animadversione dignum. Cumque alium ei codicem Præsul a Cano sugillatum impingeret, respondit Mancius, ne in eo quidem quidquam mali esse præter unam sugillationem Cani. Hunc in modum veritas patefacta, malevolorum technas atque mendacia sua luce discussit, eademque se ipsa, cum vi sua, tum Sedis Apostolicæ auctoritate defendit. *Ita aureus Exercitiorum libellus, tanquam aurum in fornace probatus et excoctus est, nullaque in eo inventa est vel umbra iniquitatis. Illius elogia, usum in Societate, personas insignes eisdem excultas, et loca eorum usui accommodata, uti et fructus dabit Gloria posthuma* S. Ignatii *cap.* II.

DOCUMENTUM SECUNDUM EX VARIIS *

GLORIA POSTHUMA S. IGNATII EX COMMORATIONE APUD MANRESANOS

§ I. Spelunca, aliaque loca Manresæ Sancto honorifica.

Ribadeneira in Vita breviore cap. III Joannes Baptista Cardona, *inquit*, doctor et episcopus Vicensis (cujus in diœcesi Minoressa sita est) et electus Dertusensis, Minoressæ in ecclesiæ B. Luciæ, antea valetudinario pauperum, ubi Societatis Jesu auctor Ignatius pœnitentiæ duxit exordium, ad memoriam pœnitentiæ illius sempiternam, lapideam pyramidem præclara cum inscriptione eri-

Inscriptione honoratur ecclesia B. Luciæ;

* Acta S. Ignatii exaravit Pater Pinius (Jean Pien); operis vero partem, qaæ inscribitur GLORIA POSTHUMA, ipso fatente titulo, collegit EX VARIIS QUA SCRIPTIS QUA IMPRESSIS DOCUMENTIS.

En tibi quinque primas paragraphos capitis secundi, quod refert gloriam posthumam apud Manresanos.

gendam curavit. *Quæ cum ibi, tum alibi in Vitis exstat. Res acta* Sixto V. Rom. Pont., et Catholico rege Hispaniarum maximo Philippo II. *De celeberrima Sancti extasi ab uno Sabbato ad aliud, agens Ribadeneira lib.* I, *cap.* VII, *illam*, Manresæ cum adhuc versaretur.., accidisse, *indefinite memorat. Locum vero Bartholus determinat lib.* I, *num.* XIV, *nimirum* ad S. Luciæ, in nosocomii perangusto conclavi, a *Sancto* ideo optato, quod exigua fenestra in templum pateret, unde infirmi Sacro intererant. *Vicensus (de quo in nostro Commentario prævio* § 5, *num.* 49 *diximus) agens pag.* 17 *de xenodochio S. Luciæ, portentosum istum raptum aut exstasim octiduanam ibidem contigisse affirmat ; ac de ea inveniri testes auritos et oculatos multos in informationibus juridicis Barcinonensibus anni* 1595, *et* 1606. Nosocomium vero ipsum Societati in collegium cessit, ægrotis intra oppidum commodius locatis, *ait Bartholus lib.* I, *num.* 22.

magna in veneratione habetur locus ille, in quo contigit famosus Ignatii raptus :

39. *Petrus Cantius, in Commentario prævio superius* § 4, *num.* 29 *allegatus, sic scribebat :* Habet *(Manresæ)* Societas nostra Collegium, pauper quidem et humile, quod ad ædificium attinet ; sed præcipuo sancti Patris nostri monumento summe dives. Scilicet intra ipsos collegii parietes exstat etiamnum integrum, et numquam hactenus variatum nosocomium illud..., in quo per octiduum totum de sabbatho in sabbathum passus est mirabilem illam extasim. Solum locus iste, in quo sic jacuit exanimis, versus est in sacellum octo circiter pedibus longum, latum et altum : nec alio vocatur nomine, quam RAPTUS S. IGNATII. Sacel-

lum est tenerrimæ devotionis. Ejus pavimentum stratum est ex lateribus coctis, iisdem scilicet, in quibus jacuit ecstaticus. Et ne calcantium pedibus paulatim alterentur, aut excaventur lateres, conteguntur tabulato ligneo : quod tamen attolli possit, et attollitur subinde, ut venerantium oculis et osculis pateat.

templum item Deiparæ a Sancto frequentatum :

40. *Lustrandus nobis nunc locus ibidem alius. Vicensus variis vicibus Sanctum fuisse in sacello Dominæ nostræ* de Villadordis ; *ubi habuerit Christi, Mariæ, ac S. Petri, ut vult, apparitiones, pag.* 17, *num.* 57 *scribit constare ex processibus anni* 1606. Quandoque, *ut Bartolus lib.* I, *num.* 2, beatæ Virginis Villadordiensis sacram ædem petens, sesquimilliari Manresa dissitam, textum propria manu ex aculeatis herbis addebat fasciculum, ad erodendam carnem, configendamque comparatum : qui Villadordii etiamnum honorifice asservatur. *Ibidem ad dextrum latus aræ majoris visitur imago* S. Ignatii, *teste Garcia, lib.* I, *cap.* XII, *cum inscriptione, quæ inter alia memoret, quod istam ecclesiam frequentaret, ubi et singulares cœli favores acceperit. Inscriptio autem signatur die* 19 *Februarii* 1632. *Plura ibidem.*

uti et cubiculum,

41. *Ex Garcia lib.* I, *cap.* II *discimus, Sanctum adversa valetudine Manresæ laborantem, in primo quidem morbo ex xenodochio S. Luciæ, in altero autem e conventu S. Dominici, in ædes viri nobilis ac divitis Andreæ de Amigant deductum fuisse, valetudinis curandæ gratia : cubiculo autem, in quo infirmus decubuerat, magnam esse conciliatam venerationem ; nec non infirmos tres eo deductos, invocato* S. Ignatio, *integram recuperasse sanita-*

tem. Postquam vero ibi dictus auctor Amigantorum familiam laudassel a beneficentia erga Sanctum, ac Societatem ejus ; a reverendo admodum Patre nostro Joanne Paulo Oliva indultam eidem fuisse memorat communicationem omnium bonorum operum, quæ fiunt per totam Societatem. Addit præterea citatus scriptor, quod ipsemet Sanctus gratum sese comprobarit : in cœlo quidem, quando anno 1635 *Joannes Amigantus repentina ac vehementi paralysi correptus, Sancti a se invocati, ac sibi apparentis patrocinio feliciter emersit e sua infirmitate : in terris vero, quando Præpositus Generalis electus, ad Amigantos scripsit etc.*

in quo æger decubuerat.

42. *P. Joannes Planus noster in litteris suis, (quarum apographum collectioni monumentorum nostrorum Romanorum inseritur) ad R. A. P. N. Everardum Mercurianum datis,* Initio, *ait,* mensis Julii jussu R. P. Petri Villalbæ Provincialis, Manresam duo Patres profecti sumus, ut ibi solita Societatis erga proximum officia exerceremus... Mirum certe, in ea civitate quam viva sit Parentis nostri memoria. Innumeri sunt, qui eum ibi sacco indutum, et eleemosynam petentem viderunt. Vivit matrona, quæ Ignatium gravissimo morbo laborantem excepit in domum suam. Vidimus cubiculum et cubile idem, in quo Ignatius ægrotus jacebat. Causa vero, quæ Ignatium ad domum istius adduxit hæc fuit. Emigrarat Pater ex hospitali pauperum in cœnobium Dominicanorum ; quod et Historia lib. I, cap. VI docet (modo vero cellula ista destructa est propter domus reædificationem) : ibi in morbum incidit. Devotæ mulieres, quæ Ignatio ministrabant, ne aliis essent scandalo, domum

Religiosorum monachorum ingrediendo ; rogaverunt hominem pium et divitem, nomine Amigant, ut cubiculum aliquod Ignatio domi suæ concederet, quousque in pristinam valetudinem esset restitutus. Etenim poterant illæ adire absque ulla suspicionis nota. Vir pius libenti animo concedit. Uxor hujus, quæ modo vidua est, narrat, insolentes quosdam ludibrii causa solitos fuisse virum suum appellare Simonem Leprosum, eo quod Ignatium, qui in omnium ore sanctus erat, velut alter Simonem Jesum recepisset : ipsam vero Martham, quæ satagebat circa frequens ministerium Ignatii.

Locorum veneratio ex testimonio Ribadeneiræ ; et Petri Gil de spelunca ;

43. *Ribadeneira in Vita breviore cap.* III *hæc fatur :* In animis Minoressanorum tanta vis amoris in Ignatium est impressa, ut, quamvis octoginta jam anni effluxerint, Minoressæ tamen exstet etiamnum recens et jucunda memoria, hæreantque vitæ illius monumenta non pauca. Incolæ enim et magna usque hodie pietate frequentant ea loca, in quibus ille commorari et orare consueverat, et ejus precibus divinam opem implorant. *R. P. Petrus Gil, seu Ægidius (de quo in Commentario prævio* § 13), *in epistola, mense Decembri anno* 1605 *ad P. Petrum Ribaneiram scripta, teste Vicenso pag.* 14, *num.* 44, *hæc ipsi significat, quæ ex Hispanico sic sonant* : Manresæ res mirabilis sunt miracula, quæ contingunt, et devotio, qua civitas ista tota, et loca vicina frequentant, quasi continua cum statione, speluncam, in quam B P. Ignatius se recipiebat etc.

de cujus publica et honorifica frequentatione

44. *Vicensus pag.* 13, *num.* 42 *expressis verbis enumerat septem hujus speluncæ publicas ac solennes visitationes, ab anno* 1596 *usque ad* 1616. *Ibid.*

num. 43 *civitatem Manresanam in sua ad summum Pontificem epistola anno* 1610 *(quam dicit authenticam asservari in collegio Bethlehem Barcinonensi) scribentem inducit; unde discimus,* conservari successive in illa civitate per traditionem beati Patris memoriam ac venerationem erga unum sacellum et unam speluncam, quo dictus Pater secedebat ad orandum. Et tantum crescit devotio in dies singulos, ut vix sit infirmus, quin pro eo instituantur novenæ in dicta spelunca, et ponantur vota atque anathemata. Et personæ maxime insignes veniunt, ut eam venerentur : excellentissimi Domini, dux, ducissa Monteleonis, proreges Cataloniæ, sua mater, ducissa Terranovæ, ac filius ejus : quatuor simul episcopi, Vicensis, Barcinonensis, Solsonensis, et Algeriensis : Inquisitores, Generalis S. Benedicti : adeo ut statio continua et frequentia perseveret in dicta spelunca civitatis apud eos, qui prope, et qui procul absunt. Quas res videmus oculis nostris et manibus contrectamus. *Hæc apud dictum Vicensum, ex Hispanico hic versa.*

nonnulla proferuntur.

45. Eamdem frequentiam, *sicut addit,* omnium, tanquam in supplicatione, ad loca adeo sancta, sublatis ab iis terra ac lapidibus pro reliquiis, scribit civitas in alia epistola diei 19 Januarii, anni 1611, sacro concilio provinciali Terraconensi ; *quam is dicit* haberi in libro Processuum canonizationis Sancti fol. 347. Consequenter Mauritius Cardona citatus, *ait,* num. 17, qui fuit primus hujus speluncæ dominus, affirmavit cum juramento, vidisse se diebus aliquot, plus mille personas ire ad eam visitandam : seque a multis fuisse reprehensum, quod se abdicasset tam sancto ac

devoto pignore ; se, dominum ejusdem existentem, multa e rupibus ejus Valentiam, Cæsaraugustam, Ilerdam etc. tulisse frusta, quæ a se petebant, osculabantur, ac pro reliquis asservabant.

Confirmatur cultus Sancti apud Manresanos propagatio.

46. *Ceterum piissima hæc erga sanctam hanc speluncam veneratio, ac propagatio ad posteros Manresanos, colligitur et confirmatur ex iis, quæ anno* 1672 *in suis litteris scribit Cantius :* In oppido *aiebat,* toto vix est platea, cujus incolæ non aliqua vel miracula, vel miraculis similia Sancto suo (nam suum esse volunt, et suo gloriantur) accepta referant, narrentque plenis buccis, et pleniore animorum sensu. Certe audiuntur passim matres, dum filiolos domum revocant, aut ad se accersunt, Ignatiolos suos appellitare. Scilicet tantus amor, et veneratio est in Sanctum, ut ejusdem nomine filios suos passim gaudeant vocari.

§ II. Alia venerationis specimina ; cœlestes favores, spelunca Societati Jesu data.

Maximi fit ab insignibus personis hæc spelunca.

Illustrissimus D. Lupercus de Arbizu, Manresani collegii fundator, magno in pretio habuit sacram illam speluncam ; prout est apud Vicensum *pag.* 12, *num.* 41, *ex litteris ejus ad R. A. P. N. datis die* 22 *Decembris anno* 1619. *Retulerat autem num.* 40, *illam fuisse veneratum serenissimum D. Joannem Austriacum, Cataloniæ proregem ; omnes episcopos Vicenses, quando in visitanda sua diœcesi eo divertunt, ipsam revereri ; multosque longe temporis spatia orando in ea consumere ; et*

sacerdotes non paucos venisse ex remotis locis, ut in illo sanctuario primitias suas celebrarent. Ad hæc, usus ferme in legem abiit, *teste Bartolo lib.* I, *num.* 22 *sub finem,* ut qui Monserratum ad Virginem adit, insalutata Ignatii specu, tribus dissita leucis, non redeat : quod spatium a multis præ reverentia nudis pedibus obitur. Nec deest sua pietati merces : soli enim ramenta peregrini, et de rupe assulas referunt, quibus efficacissimis utantur præsertim adversos fascinationes et veneficia.

inter quas egregium specimen dedit archiep. Burdegalensis.

47. *Nec vero intra solos Hispaniæ limites stetit peregrinorum religio: Nam Vicensis pag.* 11, *num.* 35 *meminit actus publici, die* 18 *Octobris* 1609 *notati : unde constet, Eminentissimum dominum Franciscum Cardinalem de Sourdis, archiepiscopum Burdegalensem, venisse e Gallia ut sanctam hanc speluncam inviseret. Quanta autem cum significatione pietatis id fecerit, narrat Garcia lib.* I, *cap.* XII *: videlicet stationes omnes Sancti præsentia honoratas adire voluit ; xenodochium, sacellum Raptus, fluvii Cardoneri margines : in specu ad aram fecit · singulari deinde cum pietatis testificatione osculum dedit solo,* S. Ignatii *pedibus calcato lacrymisque et sanguine rigato ; oleum lampadis petiit, rupisque pulveres summa cum veneratione accepit ; atque ut de istorum sacrorum pignorum veritate magis constaret, eorum certitudinem testimonio publico roborari voluit : centum denique pœnarum peccatis debitarum dies relaxavit iis, qui xenodochii ac speluncæ sanctuaria visitarent, uti habemus ex citato auctore.*

Sacellum speluncæ superædificatum ;

48. *Sacellum speluncæ superædificavit illustrissimus Robusterus, episcopus Vicensis, anno* 1603,

ex Garcia capite mox citato, sub titulo S. Ignatii *martyris, lapsu temporis* S. Ignatii Loyolæ *nomen commutato. Annus autem ille confirmatur ex instrumento fabricæ prædicti sacelli, die 31 Martii, anno* 1603 *confecto, notario Raphaele Torres Minoressano, ad devotionem domini episcopi Robusteri, ex Vicenso pag.* 10, *num.* 33; *apud quem pag.* 9 *num.* 29 *juratus testis deponit, se obtulisse* 50 *ducatos ad ampliandum sacellum ; citaturque Informatio Minoressana* 1606 *fol.* 435.

pecunia ad ornatum collata, indulgentiæ etc.

49. *Domina Anna de Aymeric, Comitissa de Fuentes in Aragonia, Minoressæ ex nobili Aymericorum familia oriunda, reliquit in suo testamento mille scuta, ad ornatum hujus sanctæ speluncæ : et D. Petrus de Osorio, nobilis Hispanus, commissarius generalis Lombardiæ, ætatis* 70 *annorum, qui Barcinone ad eam venit pedes, legavit mille et ducentas libras, ad ejusdem ornatum. Gregorius item PP. XV eam jubilæo, die* 26 *Januarii anno* 1623 *ditavit, pro prima Dominica Octobris ; quo die ibi celebratur festum, præter dies* 30 *et* 31 *Julii : quæ discimus ex Vicenso pag.* 14, *a num.* 45. *De ornatu, tabula, ejusque epigraphe meminit Bartolus lib.* I, *num.* 22 ; *Garcia vero de cubiculis ibidem loci exstructis, ad excolendos eos, qui Exercitiorum spiritualium gratia illuc secedunt.*

Malum lateris,

50. *At nunc miracula quædam singulatim demus in fide Vicensi, qui illa narrat :* nonnulla, *inquam ;* nam referre omnia, *(sicut is quidem testatur pag.* 15, *num.* 47) quæ inveniuntur de oleo lampadis ; deque sancta terra istius speluncæ, quæ ordinarie in Catalonia et in omnibus locis datur infirmis, cum mirabilibus effectibus, infinita res esset.

Mox itaque a num. 49 *hæc refert, ex Hispanico hic translata :* Spes Tabernera, a malo lateris infirma, accepit unum istius sanctæ speluncæ lapillum, a suo filiolo sibi datum ; eumque osculata, sensit prodere suavem quamdam fragrantiam : ac tam cito recuperavit salutem, ut illo eodem die potuerit prandere et cœnare cum suo marito. Juravit postea, quod lapidem manu tenens dixerit : Sancte gloriose, per pœnitentiam, quam fecisti in ista sancta spelunca *etc.*

ulcera strumarum,

51. Domina Beatrix de Iosa, filia domini Hieronymi de Iosa, convaluit a septem ulceribus strumarum, e quibus pus manavit multis annis, solummodo applicando illis pulveres speluncæ. Obtulerunt argenteam lampadem pro sacello Sancti Barcinone : juravitque virgo, quod, quando Sanctum cum lacrymis rogabat in dicto sacello, ut se curaret ; imago Sancti oculos ad se converterit, ac notatu digna se affecerit consolatione : grata Sancti monumenta erga illam familiam nobilem, a qua tot accepit beneficia, quando Barcinone studebat, præsertim ab insigni domina D. Elisabetha de Iosa, ipsius in spiritu disciplinæ alumna.

cœcitas ; dolor dentium sospitantur.

52. Margarita Capdepos vidua, multis annis cæca, dum esset annorum 90, facto dumtaxat voto visendi istam sanctam speluncam, recuperavit visum ; tribusque primis diebus non vidit nisi rosas. Et Mauritius Bertran in Informatione Minoressana anni 1606 juravit, quod, dum acutum dentium molarium dolorem sentiret sine remedio, ingressus in sanctam speluncam, lapillo ex ea ori imposito, in perpetuum curatus fuerit.

53. Nonnulli, quibus subtraxerat manum Deus,

voluerunt gravem contra illum offensam committere in ista sancta spelunca ; et non potuerunt, dum et numero essent septem, et facilis cuilibet esset executio, si per miraculum impedita non fuis et. Rem juramento confirmarunt quatuor testes, Franciscus de Gaver nobilis, et Veguer ; Mauritius Cardona (cui aggressores resarserunt damnum, quod ei intulerunt, frangendo portam sanctæ speluncæ) Mauritius Gomar notarius, et Mauritius Asber, doctor in jure ; quibus rem narrarunt aggressores ; *quos Bartolus lib.* I, *num.* 22 *in fine ponit* octo *fuisse.*

Nefarii a perpetrando in spelunca scelere impediti.

54. Miraculosus fuit sudor sanguineus (prout testati sunt doctores Bernardus Mas, et Stephanus Vinas medici : nec non canonici Jacobus Corominès, et Franciscus Fadre) qui visus est in pervigilio S. Ignatii anno 1627, in quodam sancto Crucifixo, lapidi insculpto * *etc.*

Sudor sanguineus miraculosus.

55. *Famam rerum mirabilium, quæ fiebant in*

(*) Crucifixi imago in spelunca Manresana sanguinem emittit. — *De hoc miraculo est mihi in promptu Hispanica epistola, Matriti edita anno 1627, circa miraculum, quod in spelunca Manresana die 30 Julii, anno dicto 1627 contigit. Extracta est epistola ex processu, ad facti probationem formato, jussi illustrissimi Domini D. Petri Margarola, episcopi Vicensis. Aguntinsuper de isto prodigio Italice quidem Bartolus lib. I. num. 22 ; et Carnolius cap. XV ; Hispanice autem Garcia lib. I, cap. XII.*

Bartoli vero interpres latine illud sic reddit : Magnis *apud Manresanos* honoribus colitur Christi effigies de cruce pendentis, palmi fere unius, ex petra, cui incisa est, dimidio eminens. Hæc dum Ignatius Manresæ degeret, basi imposita, regiæ imminebat viæ Barcinonem ducenti, ad commeantium pietatem. Inde aliquot annis, haud scio quo casu, dejecta, jacuit aliquandiu : donec Thomas Fadreus canonicus sublatam domi suæ habere voluit. Postea tamen venerationis majoris sensu quodam permotus, in specu Ignatii fissæ rupis hiatu ad lævam altaris excepit, addens fore tempus, quo summis honoribus tota vicinia coleretur. Quod facile pro vaticinio a

Sanctæ Speluncæ vis sospitatrix reginæ Hisp.,

illa spelunca, pervenisse etiam ad aures Margaritæ Austriacæ, serenissimæ Hispaniarum reginæ, argumento est instrumentum, cujus meminit Vicensus pag. 11, *num.* 34, *die* 19 *Decembris anno* 1602 *signatum, notario Raphaelo Torres : unde eodem ibidem teste Vicenso,* constat, quod ad devotionem dominæ reginæ D. Margaritæ Austriacæ, decanus, judex ecclesiasticus Manresanus, jusserit rumpi, et acceperit e rupibus istius sanctæ speluncæ duo segmina, quæ missa sunt suæ majestati. *Et pag.* 9, *num.* 27 Andreas Sala notarius... juravit... quod ipse tanquam consiliarius adstiterit, quando ex ista spelunca fuerunt desumpta frusta rupis, quæ, tanquam reliquiæ, ad reginam dominam Margaritam Austriacam missa sunt. *Observa obiter, Bartolum et Garciam tam discordare in anno (signant enim annum* 1603) *quam addere, quod prædicta*

multis creditum, quibus canonici nota erat pietas singularis. Et cœpit eventus dicti fidem præstare anno 1627. Dum enim pridie S. Ignatii, sacri cantus in sacello complentur, et stipant proximam Ignatii specum, quotquot in eam subire potuerant, ecce tibi primum ex plaga lateris Crucifixi fluere sanguis tam recens, et vegeti ruboris ; deinde ex manibus capitisque punctionibus, ut vivo ex corpore fluere videretur.

Nihil omissum est ad deprehendendam novi ostenti causam ; donec absque ulla dubitatione compertum tandem est, fingi præter miraculum nullam posse ; pro quo sedecim testes (assumpti, jussu illustrissimi Vicensis, *ex epistola superius citata*) dixere juridice ; ex quibus canonici duo (istius ecclesiæ, *ex dicta epistola ;*) Doctores medici tres, jurisperitus unus : *additur in epistola*, reliquos esse incolas Manresanos : ex iis testibus septem affirmare cum juramento, quod D. Decanus Manresanus admisit, præsente ejus assessore D. Doctore Joanne Amigant, ac de mandato illustrissimi episcopi, quod viderint liquorem, *de quo erat dictum,* tanquam sanguinis effluere (*in Hispanico est* Brollar) e plagis ac capite Crucifixi etc. *Et signatur epistola* Manresæ 17 Septembris 1627. Ludovicus Vidal : *qui tunc erat Rector nostri collegii Manresani. Et inferius :* P. Episcopus Vicensis.

Margarita Austriaca lapillum optarit ex ista spelunca, imminente partu, ut Sanctum de more parturientibus faventem, sibi quoque propitium redderet.

ac proregis Cataloniæ fastis stabilitur.

56. *Denique* excellentissimus Dominus D. Hector Pignatellus, dux Monteleonis, prorex Cataloniæ... votum fecit *speluncam* visendi : quod complevit cum sua uxore, matre, sorore ducissa Terranovæ, et cum suo sobrino duce Terranovæ : quia sanatus erat ab infirmitate, in qua a medicis depositus fuerat : et quia in sua sorore fecerat Sanctus aliud grande miraculum : *uti est apud Vicensum pag.* 9, *num.* 28, *ex Informatione Barcinonensi anni* 1606.

Acquiritur Societati Jesu spelunca.

57. *Quomodo autem venerabilis illa spelunca accesserit nostræ Societati, pag.* 6, *num.* 17 *tradit Vicensus ex Informatione authentica Minoressana anni* 1601, *pag.* 28 ; *et in Barcinonensi anni* 1606, fol. 422 ; *ubi Mauritius Cardona juratus deponit,* quod excellentissima marchionissa de Aytona in Seros petierit a se dictam speluncam : quam ille et Catharina, uxor ejus, ipsi donarunt : et dicta marchionissa, aut ejus heredes patribus Societatis, qui hodie eam possident. *Hæc ibi, ex Hispanico hic versa. Scribit vero Garcius donationem illam dictæ marchionissæ esse factam die* 17 *Januarii, anno* 1602 ; *et* Seros, *locum seu oppidum ipsius fuisse, ex eodem auctore etiam habemus.* (*)

(*) *Concludo hæc singulari quodam et forte hactenus inaudito exemplo : nam die 2 Novembris anno 1727 illustrissimus D. Josephus de la Puente et Pena, marchio de Villa Puente et Pena, eques ordinis S. Jacobi, nobilis cubicularius suæ Majestatis etc., e Mexico ad visendam Manresanam Sancti speluncam profectus, promisit octoginta millia regiorum argenteorum nummorum* (ochenta mil

§ III. Exercitia spiritualia post Sancti mortem laudata ; usus eorum in Societate, etc. apud varios Sanctos etc.

Ludovicus Strada; ac S. Franciscus Salesius

Ad S. Ignatii *apud Manresanos commorationem maxime spectant Exercitia ejus spiritualia ; de quibus multa dixi in Commentario prævio* § 5 *et seqq. ; quibus hæc addo pro gloria Sancti ex iisdem posthuma. Orlandinus lib.* XVI, *num.* 125 Longam, *inquit*, Ludovicus Strada, vir egregie doctus ac pius e familia S. Bernardi, ad socios Septimancenses epistolam dedit Hispanice quæ longo post tempore Italico sermone edita Romæ est. *In editione Neapolitana anni* 1605 *notatur scripta* 12 *Februarii* 1557. *Summam ejus dat ibidem Orlandinus ; ac num.* 127 Adjicit, *ait,* his Exercitationum spiritualium laudes, quas appellat novitiatum quemdam toti humano generi institutum *etc. S. Franciscus Salesius in tractatu De amore Dei lib.* XII, *cap.* VIII. *pag.* 363, *editionis Tolosanæ anni* 1637, *ita loquitur ; quæ e Gallico reddita sic sonant :* Sancta methodus, antiquis Christianis familiaris ; sed postea pene omnino intermissa : donec magnus Dei servus Ignatius de Loyola eam in usum reduxit tempore patrum nostrorum.

reales de ocho) *ad ejus fundationem. Nec vero solis fuit promissis dives : nam plus quam triginta millia dedit jam nunc ; ex Hispanicis documentis collegii nostri Manresani, a R. P. Vincentio Joanne S. J., provinciæ Aragoniæ præside subministratis : dicitur que laudati illustrissimi domini ad visendam speluncam adventus contigisse ex voto, quod fecerit, quia Sanctus eum curavit a gravi quadam infirmitate ; prout indidem habemus.* (Ibid. n° 433).

59. *Illustrissimus Joannes Petrus Camus, episcopus Bellicensis, anno* 1609 *a dicto S. Francisco Salesio, juxta Sammarthanos in Gallia Christiana, consecratus,* Liber omnino aureus, *ait,* et omni gemma multo admodum pretiosior ac divitiis : quo minoris valet, quidquid desiderari in terra potest. O librum divinum singulari Dei cum lumine scriptum ; quique adeo numquam satis laudari possit ! Librum, qui abscondit in se manna, medullam Libani, et sinapi Evangelii ! *Hæc dedimus ex Italico Cornalii cap.* VI, *qui citat Directionem spiritualem, cap.* XIX. *Alphonsus Rodriguez in Exercitio perfectionis et virtutum Christianarum part.* I, *tractatu* V, *cap.* XXV *profert verba Pauli V, ex quibus die* 23 *Maii anno* 1606 *Pontifex iste indulgentias plenarias largitur Religiosis, qui per decem dies secesserint ad obeunda Exercitia spiritualia etc. Alexander PP. VII in litteris Apostolis die* 12 *Octobris anno* 1657.

item episcopus Bellicensis,

60. Nos, *ait,* qui probe scimus, quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, et confirmandis in illa Christi fidelium mentibus ; devotionem eorum, qui operi adeo pio et salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis incitare volentes.., omnibus et singulis Christi fidelibus tam prædictæ Societatis, aut cujuscumque alterius Ordinis et congregationis regularibus, quam aliis quibuslibet ecclesiasticis et laicis, qui in domo memoratæ Societatis, Exercitia prædicta juxta laudabilem ejusdem Societatis consuetudinem per octidui spatium quandocumque peregerint et interea temporis vere pœnitentes et confessi, sacrosanctum

atque Alexander PP. VII magnifice sentiunt de Exercitiis :

Eucharistiæ Sacramentum sumpserint : quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in perpetuum valituris. *Quid, quod Exercitia vel a jurato Catholicæ religiosis Societatis hoste probantur ?*

heterodoxo quodam

61. *Exemplo sit Gabriel Lermæus Calvinista, apud Bartolum lib. I, num.* 18, *qui vera falsis involvens, dum satyram voluit procudere, panegyrim eorum vel invitus edidit, ita ibi deblaterans :* Quid hoc incantamenti est, quæ fascinatio, qua Jesuitæ homines dementant ? Sua quidem illos extra frequentiam ædium in conclavia inductos, illic meridiana in nocte, luce omni exclusa, profundo mœrore obruunt tristique horrore consternant. Miseri, quos ea sors prehenderit ! ut qui olim in antrum Trophonii descendebant ; sic dicant hi licet, ab ipso lumine, lætitiæ ac voluptatibus longum vale. Illum enim homines ingressi, indidem stipites prodeunt, stupidi, amentes, vitæ deliciis funditus mortui, unisque in posterum lacrymis ac tristitiæ victuri. Iis caveis sepulto nec datur videre, nec videri, nisi magorum illorum ab aliquo bis illuc quotidie submissa voce, vultu attonito magico carmina inferente, quæ paucis in chartula lineis infelici tradit, ut iis apud se assidue versandis gravius fascinetur. Quas vero illic chimæras fingant, quas forment imagines, quæ visa somnient, quis satis enarret ?

vel per virtuperia, eorum vim laudante.

62. Flent, exclamant, irrugiunt ; velut jam fumo ignis tartarei morderi sibi oculos sentiant, et anticipatis urantur flammis. Jurant quotidie, se ita victuros, tanquam sub noctem morituri, neque

caduca hæc nisi puncto individuo tacturos. Cum autem inde se efferunt, quasi siderati mundum hunc intuentur, ut si nunc primum in eum subirent. Intuentur vero non iisdem quibus antea oculis, sed perinde ut scenam interea vertisset, spectant illum, ut mare tempestatibus horrendum, et naufragiis infame; ubi navigare non sit facilius, quam perire. Unde ad quemlibet ingressum videntur sibi aut allidi, aut transversum ire. Quare in portum quantocius subducere sese deliberant, tandemque monachismo se discant. Ad hæc Jesuitæ, si forte quod habeant emoti jam cerebri caput, in hac illud fornace eliquatum recoquunt et reducunt, tamdiuque malleo contundunt, quoad edomitum, suum ad morem formamque redegerint. Ex molliore vivendi habitu ad durum; ex obediendi duritie ad docilitatem; ex pigro actuosum; firmum et stabilem ex fluctuante efficiunt. *Ita infrunitus ille e nigra bile, quam eructat, lucem affundit Exercitiis.*

Usus eorum in Societate.

63. *Maxima illa fiunt, et impense urgentur in nostra Societate. Ut vero nihil dicam, quod, cum de ea constituenda* Ignatius *ac ceteri patres deliberarent, uti videre est apud Maffeium lib* II, *cap.* IX, *visum fuerit, ut ejusdem* candidati cum aliis experimentis, tum vero præcipue spiritualibus Exercitationibus... probarentur; *quodque menstruorum Exercitiorum usum in tironibus confirmarit postmodum* S. Ignatius; *ex Orlandino lib.* VII, *num.* 2; *quod denique in primo ac generali Examine cap* IV *inter alia experimenta ponatur* primum, in spiritualia Exercitiis mensem unum plus minus versari; *atque in Constitutionibus nostris part.* IV,

cap. 8, *num.* 5 *sanciatur, ut nostri* ad Exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque ea in se fuerit expertus, assuescant ; et dent operam omnes, ut.. in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint. *Ut, inquam, illa prætream ; magnam curam habuit Societas, ea post obitum sui Fundatoris promovendi apud externas personas. R. A. P. N. Claudius Aquaviva in epistola ad præsides provinciarum, Romæ die* 14 *Augusti* 1599 *data, quemlibet eorum* majorem in modum hortatur, ut omni studio excitare atque accendere nitatur usum hunc Exercitiorum non solum in nostris ; verum etiam in externis. *Et paulo post ;* Magnopere, *ait,* optarem, ut nostri primum in se ipsis frequenter usu illa excolentes, idoneos se magistros redderent, qui eadem postea cum fructu tradere secularibus possent. *Desiderat etiam P. Claudius, ut usum Exercitiorum sedulo confessariis nostris commendent, ut pœnitentes, quos aptos ad hæc judicarint, eo inducant : atque adeo* necesse futurum *addit, ut locorum Superiores* promptos se liberalesque in eos admittendos exhibeant, qui per Exercitia spiritualia juvari cupiunt *etc. ; suggeritque medium, plurimum etiam ad rem conducturum,* si procuretur, quoad ejus fieri poterit, ut in singulis collegiis ac domibus stata sint aliquot cubicula, in hunc usum Exercitiorum pro externis designata *etc.*

S. Carolus Borromæus maximus Exercitiorum æstimator.

64. *De S. Carolo Borromæo Bartolus lib.* I, *num.* 18 *Vitæ* S. Ignatii *agens,* Junior, *inquit,* ad sacram purpuram... adlectus, Romæ in professorum domum Societatis Jesu recepit sese, ut daret Exer-

citiis operam : quod ei deinceps, quamdiu vixit, semel quotannis solenne mansit, ac bis etiam, quoties licuit, Joanne Baptista Ribera, post vero Francisco Adorno, dicamme discipulis et admiratoribus, an, ut ipse jubebat, animi ductoribus et magistris ? Ex quo illud ipsius in synodo saluberrimum decretum, ne quis initiaretur sacris, et sacerdotio, nisi aliquot dies primis saltem Exercitiorum meditationibus purgatus. Reliquo dehinc anno sanctus Archipræsul libellum terebat Exercitiorum, et contemplandi argumenta ex eo quotidie depromebat ; sentiebatque de illo ita magnifice, ut duci Mantuano Vincentio, bibliothecam suam locupletissimam monstranti, Mihi quoque, dixerit, bibliotheca est perampla, sed in libelli coacta epitomen, ex quo plura intelligo, quam possim ex ceteris omnibus discere ; subdiditque hunc esse Exercitia S. Ignatii. Ex hoc illi Deus tanto digna magistro ac discipulo monita prælegebat. *Consulesis Joannem Petrum Giussanum in Vita laudati Cardinalis lib.* I, *cap.* v ; *lib.* II, *cap.* XVI ; *lib.* VII, *cap.* II ; *lib.* VIII, *cap.* V, *et* XXIII. *Quam sollicite vero Exercitiorum spiritualium usum urserit idem Sanctus in promovendis ad Ordines sacros, perspicum est ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis, a laudato Præsule conditis ; tom.* I *pag. 388, editionis Lugdunensis anni* 1683, *item pag.* 116, *et* 364 ; *tom.* II, *pag.* 859.

65. *S. Franciscus Salesius Exercitia etiam obivit.* *Carolus Augustinus Salesius in patrui sui Vita lib.* VI, Pene respirabat, *inquit*, cum ad Quadragesimales conciones Camberium proficisci oportuit. Ivit autem mature, ut antequam intraret in nego-

Ea etiam obivere S. Franciscus Salesius,

tia, parum otii ad collectiones animi haberet. Quamobrem spatio dierum octo, quo tempore hilaria sunt, apud patres Societatis Jesu Exercitiis religionis solitarius incubuit. *Quales sese in præsenti argumento præstiterint Eminentissimus Carolus Georgius Radzivil, episcopus Vilnensis ; illustrissimus Hannibal d'Afflitto, archiepiscopus Rhegiensis in Calabria ; nec non illustrissimus Ambrosius Ignatius Spinola, archiepiscopus Hispalensis ; dabit Carnolius cap.* VI.

S. Teresia,

66. *De Seraphica matre Teresia hæc accepimus :* Deo autem dante factum, ut quod quærebat, quam primum id in Societate inveniret : agere quippe primum cœpit cum quodam e nostris, viro et apprime religioso et prudenti... Hic, quantum quidem auditu accepi, per solita orandi præcepta, quæ in Exercitiis B. P. N. præscribuntur, eam exercuit, etsi non per omnia ; *uti loquitur interpres Latinus Vitæ a Francisco de Ribera conscriptæ.*

ac S. Maria Magdalena de Pazzis.

67. *S. Maria Magdalena de Pazzis Exercitia summo in pretio habuit, ac diligenter promovit. In Vita ejus apud nos tom.* VI *Maii, die 25 ejusdem mensis, a pag.* 298, *res illa sic exponitur.* Anno... 1599 cum vidisset gloriam S. Joannis Evangelistæ, et S. Ignatii confessoris, de cujus spiritu multa mirabilia dixit, voluit mense Novembri cum tribus aliis matribus facere Exercitia ejusdem S. Ignatii, directore utens P. Virgilio Cepario... Fecit autem illa maxima sua cum consolatione sublimemque de ipsis conceptum formavit : et, dum vixit, sæpius eadem dedit sororibus, docens eas, quomodo in praxim deducenda essent lumina et inspirationes,

quas inter ea Dominus communicabat. Atque hinc postea invaluit usus in isto venerabili monasterio, faciendi quotannis prædicta Exercitia spiritualia cum profectu non exiguo et incremento in spiritu, ac studio orationis. *Hæc nobis sufficiunt : videri interim de præsenti argumento potest Carnolius cap.* VI.

§ IV. Usus Exercitiorum apud Italos, ac Venetenses in Britannia minore.

Editus libellus docet, quid in hac materia Bononiæ sit factum :

Libellus Parmæ ab uno e nostris titulo editus est : Spiritualia S. Ignatii Exercitia in provincia Veneta sexui hominum utrique, magno animarum fructu, communicata anno 1701 ; *unde sequentia excerpo.* Et primo quidem Bononiæ in nostro D. Luciæ collegio fructiferum opus cœptum est extremis ipsis Bacchanalium diebus, quibus pium admodum et religiosum triduum P. Aloysius Albicinus quinquaginta supra centum eorum adolescentium adhibuit, quos a Scholis piis vocant... Cleri pietas eluxit prima, quæ mox secuta est, Quadragesimæ hebdomada. Octoginta circiter, quorum alii sacerdotio, minoribus alii, ut aiunt, Ordinibus prædíti, sacris commentationibus octiduum integrum a P. Petro Contesino exerciti sunt. Hos proxime secuti sunt externi scholarum nostrarum auditores facile ducenti, quos P. Franciscus Bonardus triduana rerum æternarum meditatione occupavit. Hebdomadam vero, quam Passionis vocamus, nobilitas utriusque sexus præcipua, exemplo

pietatis vere singulari nobilitavit. Sex integros spiritualibus Exercitiis dies viri seorsim ac feminæ dederunt. Præfuit illis in domestico Salvatoris sacello P. Joseph Philibertus Barberius ; habuitque sane, unde laboribus abunde gratularetur suis... Septuaginta *quippe* continenter numerati sunt, in iis nonnulli, qui patritium ordinem excederent. Par in feminis studium, numerus etiam major ; cum ad nonagesimum plus semel pervenerit. Congruis ipsas commentationibus excoluit egregie in laterali ecclesiæ nostræ atrio P. Aloysius Masdonus, collegii Rector.

quid Brixiæ, et in agro Bergomensi etc

69. Brixiæ quoque cœptus lapso proxime anno mos feliciter continuatus est. Exculti sunt tres dies sacris Exercitationibus viri equites ac matronæ nobiles. Et quidem cum serius rei agendæ fama per urbem missa esset, ac domi facile timeretur, ne satis pro re numerus futurus esset ; timorem exitus disjecit, superavit expectationem. *Nam* centum ferme numeratæ sunt ac prope omnes primariæ feminæ ; totidem viri, equestres alii ; alii proximi ab hoc ordinis. His P. Flaminius Lupuz ; illis præfuit P. Livius Pagellus, collegii nobilium moderator... Patrum studium... extendit *etiam* se in proximum agrum Bergomensem ; ubi P. Joannes Antonius Petrobellus in oppido Albino Quadragesimalibus concionibus sacram præmisit decem dierum collectionem, qua clerum illum Ignatianis commentationibus excoluit. Hoc idem fecit in oppido Clusone P. Marcus Fallardus, qui socia insuper opera P. Hieronymi Zamperii quotidianas conciones diebus integris octo spiritualium Exercitationum cumulavit, viros ac feminas seor-

sum binis in templis excolens. Castilionense collegium nec partibus defuit, nec hominibus pepercit suis. P. Peregrinus Tosettus, collegii prorector, erectum nuper proximo in oppido Lonati Capuccinorum cœnobium spiritualibus commentationibus exercuit dies octo. *Reliqua porro, quæ tum ibi, tum aliis per provinciam Venetam locis egregie gesta sunt apud Carpenses, Faventiæ, Ferrariæ, Forolivii, Mantuæ, Massæ Lombardæ, Mirandulæ, Mutinæ ; quibus adde domum probationis Novellariensem, academiam Parmensem, Placentiam, Patavium, Ravennam, Regium, Ariminense collegium ac Veronense ; quæ recenset citatus supra libellus.*

Quid fiat Neapoli ac Romæ.

70. *In Solitudine sacra nostri Cammilli Hectorei de quo paulo post,* § 44 *Neapolim habemus ; ubi* in septimana sancta anno 1669 in domo professa Societatis Jesu tradita sunt Exercitia spiritualia solita, suo tempore, cum insolito accursu nobilium, senatorum, et magno satis affluxu variorum Ordinum Religiosorum, ut loci sat alias ampli spatium non potuerit omnes, illa postulantes, capere. Quin et in spectabili hac civitate inceptum est aliud ad stuporem amplius. Ante Sexagesimam nempe traduntur Exercitia in famosis illis amplisque carceribus, et coram venerabili Sacramento, uno in loco omnes incarcerati conveniunt. Maxima illic cum ædificatione miseri hi rei pœnitentias publicas ultro eligunt, et fit generalis communio ; processio item instituitur per ambitum carcerum. Unde per confessionem generalem etc. magni animorum motus, magna mutatio in miseris reis videtur. Imo et in triremibus usus Exercitiorum locum habere cœpit magno cum fructu eorum, qui ad

hasce damnati sunt.. Adolescentes, *sicut ibidem dicitur*, congregationis primariæ, erectæ in collegio Romano, omni anno per octiduum vacant Exercitiis ; uti et qui educantur in seminario Romano, aliisque collegiis sacræ Urbis, sub directione patrum Societatis.

Notitiæ quædam distinctæ

71. *Ex iis, quæ P. Petrus Gallarati S.J. anno* 1729 *huc misit Mediolano, ista delibo :* Sancti Patris Ignatii cultus et veneratio Mediolani quam maxime increbuit, crescitque in dies, ex quo spiritualibus Exercitiis peragendis patefacta est domus, quam Sinapriam vulgo appelant, corrupto vocabulo, cum Scena aurea antea vocaretur. Hæc parvo intervallo ab urbe distat, fuitque olim suburbanus recessus ad delicias compositus, qui nobiles dominos pluries mutavit ; donec ædium, ceteroquin splendidarum, instauratione diu neglecta, transiit in cauponam, quæ, confluente passim ad compotandum populo, flagitiorum subinde omnium receptaculum evasit : ut non solum eo nomine infamis, verum etiam dæmonum infestatione et spectris horribilis sit reddita ; proindeque jam infrequens ac prope deserta, suæ ipsius ruinæ derelicta poterat videri.

circa ea, quæ apud Mediolamenses,

72. Omnium primi ad hunc sacrum secessum convenerunt anno 1696 duo supra viginti sacerdotes; qui post expiatam ritu ecclesiastico, et lustrali aqua respersam totam domum, præfixasque in diversis ejus partibus sancti Ignatii imagines, exerceri cœpti sunt, tanta animorum quiete, et ab omnibus nocturnis terriculis immunitate ac securitate, ut compertum fuerit, nihil amplius juris in ea domo esse dæmoni, sed totum cessisse religioni

ac pietati. Exinde alii post alios, non sacerdotes modo, sed omnium ordinum, etiam supremorum, cives confluxerunt tam cupide, tam frequenter, ut necesse fuerit amplificare conclavia, et totum ferme annum (extra summos æstus scilicet, et summa frigora) huic spirituali culturæ impendere, distributis in hunc modum vicibus, ut quater, qui sunt ordinis Ecclesiastici ; quater nobiles et magnates viri ; quater causidici et opulenti negotiatores ; quater de promiscuo populo, honesti ceteroquin homines idoneique, exerceantur ; quorum omnium numerus ad sexcentos quotannis accedit, major utique futurus, si plures caperet domus...

et alibi fiunt.

73. Neque vero Mediolani hæsit tantum Sinapriæ bonum ; sed universam hanc regionem late pervagatum est, aliis quoque civitatibus hoc exemplo permotis ad similem exstruendam in agro suburbano solitarium domum, Exercitiis peragendis destinatam ; ut nullum jam prope in tota nostra provincia collegium sit, quod non hujusmodi juvandorum proximorum efficacissimo instrumento feliciter utatur. Quin immo Mediolani etiam nobiles matronæ suum jam habent pro Exercitiorum secessu domicilium, personarum splendori ac decentiæ accommodatum, in quo decem dierum spatio penitus occlusæ, ad crates ferreas monialium more, a nostris in spiritu excoluntur.

De urbe Venetensi in Britannia minore

74. *At sacra hæc solitudo maximo utriusque sexus numero frequentatur in Venetensi minoris Britanniæ urbe. In Vitis D. Ludovici Eudonis de Kerlivio, presbyteri nec non magni Vicarii diœcesis Venetensis ; P. Vincentii Huby S. J. ; ac Catharinæ de Francheville, anno* 1698 *simul editis ; exponitur,*

quantum operæ contulerint ad rem saluti animarum adeo fructuosam. Enimvero venerabilis pater Hubius duo apud Ventenses ad hunc secessum magna domicilia procuravit : quorum singula trecentas et eo amplius personas simul capere possint ; sacraque hujus generis asceteria incredibili cum animarum fructu ipse per se annis triginta direxit ; ex elogio ejus, quod Menologio clarorum hominum nostræ Societatis insertum est. Noster Camillus Hoctoreus in sua Solitudine sacra, dictæ urbis Exercitia illustrat ; e cujus interprete Latino part. I §, 38 *hæc excerpo :* In eadem Societas Jesu domum habet unice destinatam Exercitiis, semper patulam recipiendis, quotquot de regno ad eadem peragenda confluunt : quorum numerus tam est frequens, ut omni anno eorum numerentur aliquot centeni. Anno 1665 acessit ille ad sexcentos. Anno 1666 numeratæ fuerunt personæ, omnis generis et conditionis homines, ultra octingentas et quadraginta ; partim de statu ecclesiastico, episcopi, vicarii, canonici, parochi, concionatores, missionarii, confessarii, regulares variorum Ordinum magno numero ; de statu seculari, domini de parlamento, magistratus civitatis, marchiones, comites, barones, gubernatores, capitanei, judices, advocati, procuratores omnigenæ.

singularia exponuntur.

75. Acceduntque e locis ad triginta et plures leucas dissitis, modo tempore verno, modo in autumno, alii pro commoditate sua, diversa anni tempestate. Memorabilis porro est methodus, qua convocantur. Sub initium anni imprimitur index dierum statutorum, quibus inchoantur Exercitia pro qualibet classe : promulgatur ille a prædicatoribus e

cathedra, a parochis ad aram, a confessariis pœnitentibus suis, præmittiturque fama impressis foliis per provincias. Viginti sunt eorumdem vices ; id est binæ omni mense, excepto Octobri, qui vacat ob ferias autumnales. Duæ item septimanæ vacant ratione occurrentium in iis primarorium festorum. Omnes de reliquo menses frequentatur ; unus quidem præ altero, omnes tamen copiose.

§ V. Usus Exercitiorum in ditione Subalpina, et adjunctis ei provinciis.

Ædificium collegio Taurinensi pro Exercitiis transcriptum.

Ex documentis, quæ R. P. Antonius Falletti, provinciæ Mediolanensis S. I. præses, ad nos mitti jussit per P. Petrum Gallaratum, ista contraho : In Subalpina ditione, et adjunctis provinciis, quæ subsunt regi Sardiniæ, maxime viget, floretque jam pridem Exercitiorum spiritualium, ut vocant, D. Ignatii usus... Anno millesimo septingentesimo duodecimo comes Silvester Oliverius collegio Taurinensi transcripsit amplissimum ædificium, egregio sumptu ab ipso excitatum, in eorum commodum atque usum, qui spiritualibus Exercitiis animum intendunt : ea tamen mente transcripsit, ut illud fas esset collegii patribus villæ loco habere, quando sacræ locum exercitationes non obtinent. Ædes sunt latissime patentes ad formam Religiosæ domus, extra urbem positæ ultra milliarium, qua parte occidentem spectat. Ad sacellum, mediocris fere templi amplitudini accedens, ædificandum non modicam summam impendit abbas Emmanuel

Philibertus Buneus, qui et adjecit supellectilem sacram, et diversi generis plurima ornamenta ; idemque certam legavit pecuniam, ut semper adesset sacello sacerdos, capellani nomine a P. Rectore collegii eligendus, qui et universo ædificio custos addiceretur. Anno deinceps decimo septimo comes Oliverius extra ædium septa sacellum aliud extruxit, ne tum præsertim, cum sacræ habentur exercitationes, circumpositi agri rusticanæ gentes festis diebus in sacellum interius essent admittendæ.

Multi exercitiis imbuuntur Taurini,

77. Est Taurini antiquius collegio nostro sodalitium a D. Paulo nominatum, brevi intervallo a collegii claustris sejunctum. A collegii primordiis nostro utitur sacerdote ad confessiones præsertim excipiendas, fovendamque sodalium ad pia caritatis officia (plurima etenim sodalitium illud complexum est) privatis, publicisque adhortationibus alacritatem. Sodalitium idem plurimam jam pridem adhibuerat operam, ad Exercitiorum spiritualium studium, inter laicos præsertim et nobiles excitandum, promovendumque. Delectus ex sodalibus unus, qui agmen conscriberet optantium in sacram solitudinem per octiduum recipere sese, qui eo tempore rem domesticam procuraret : denique nulla in re, sese exercentibus deesset. Nec desunt plurimi, qui hunc sacrum secessum expetunt cujusque ordinis viri, præsertim ex civico, patritio, et ecclesiastico, ut major sæpe adhibenda sit industria in excludendis non paucis, quam in alliciendis. Labori vero par fructus, Deo opitulante, respondet.

78. Vetere jam consuetudine Taurinenses patres

plurimis per universum Subalpinam regionem positis in domibus, D. Ignatii meditationibus multos exercent. In singulari ædificio nuper commendato Taurinensis collegii quadraginta, vel quinquaginta diversorum ordinum viri facile sexies vel septies quotannis colliguntur. Procul ab urbe aliis in domibus Taurinenses patres sexies pariter, vel septies, aliquando etiam, ut arbitror, duodecies, singulis annis, similia exhibuere postulantibus officia. Decies certe vel duodecies quolibet anno id præstant in sacris gynæceis, partim in urbe, partim extra urbem. Nobiles feminæ in remoto a turbis civitatis templo, diebus decem Pentecostes festum præcedentibus mane et a prandio ad horas plurimas in simile opus conveniunt, uno ex nostris dirigente. Majorem hebdomadam in sacris exercitationibus D. Ignatii pari ratione traducunt in collegio superiorum disciplinarum auditores, aliique etiam ætate graves fere ad quadringentos. Eo tempore per triduum exercentur pariter inferiorum disciplinarum adolescentes facile supra quingentos. Quod etiam in collegio nobilium fit separatim a nobilibus in seminario agentibus, et ab externis discipulis eas scholas frequentantibus. Selecti tamen e convictorum nobilium numero aliquando dies octo volentes implent. In seminario episcopi alumni clerici sub initium anni scholastici per triduum ; sub finem Quadragesimæ per octiduum excoluntur.

in Subalpina regione,

79. Collegium Montisregalis, vulgo Mondovi, domum habet urbi proximam, quæ quatuordecim excipere potest D. Ignatii præceptis excolendos. Duplex quoque anno ejus numeri cœtus conscri-

in collegio item Montisregalis, ac domo Cheriensi :

bitur. Ad ædificium Exercitiis accomodatum quod Plotii, atque aliud, quod Lisii appellatur, excurrunt identidem ejusdem collegii patres. Bis fere vel ter sacra gynæcea urbis Montisregalis easdem exercitationes a nostris quotannis expetunt. In ædibus sodalitatum, virorum nempe nobilium, atque discipulorum, hi triduo, illi octiduo Quadragesimæ tempore exercentur. Intra Chericnsem domum probationis, decem singulis annis eidem operi incumbunt. Duplex insuper sacrum ejusdem urbis gynæceum. Nobiles et honestæ mulieres in aliquo urbis templo nonnumquam ad Exercitia colliguntur. Extra domum et civitatem identidem patres Exercitia tradunt.

uti et Alexandrino collegio,

80. Alexandrinum collegium domum habet non procul ab urbe, domini Christophori Cairi ære ædificatam, qui et proventum aliquem constituit, ut, quot admitti possent, ad pias exercitationes exciperentur. Frequenter a nostris hujus collegii exhibentur Exercitia in seminario episcopi canonicis et parochis. Reditus ad quatuor supra viginti eo tempore singulis annis alendos statuit optimus antea episcopus Alexandrinus, ad Taurinensem deinde metropolitanam sedem translatus, Franciscus Arboreus Gatinara. Illis alii se adjungunt de clero, qui numerum quadragesimum complere consueverunt. Duæ discipulorum, qui nostros audiunt, sodalitates triduo separatim excoluntur : octo dierum habentur Exercitia in sodalitio nobilium.

nec non Niciensi, Cuneensi, Pinerolensi,

81. Niciensis collegii domus, non procul ab urbe posita, novem excipere potest, et singulis annis excipit. In æde sodalitii nobilium Exercitia expli-

cantur : discipulis vero, recepto more, per triduum. Cuneensi collegio est domus ab urbe remota in diœcesi Tossanensi, quæ sexdecim continere potest in religioso secessu versantes. Ter quoque anno pium munus a nostris exhibetur. Bis pari numero exercentium se operam iidem commodant in Oppido Bovisii. Bis pariter in Braydæ, seu Bardaratensi oppido, ubi triginta singulis vicibus circiter conveniunt. Duobus præterea in Cuneensi urbe sacrarum virginum gynæceis Exercitia proponuntur, et per triduum discipulis qui a nostris erudiuntur. Intra septa Pineroliensis collegii coguntur quotannis ad D. Ignatii exercitationes, ut plurimum viginti. Sacræ virgines semel etiam excoluntur. Aliquando universo populo proponuntur Exercitia : aliquando nobilibus, seu honestis feminis : per triduum constanter discipulis.

Vercellensi, ac Salutiensi.

82 In collegio pariter Vercellensi colliguntur circiter quindecim : id autem bis præstatur annis singulis. Exercitia semel traduntur in sacello sodalitatis mercatorum et artificum : discipulis per triduum, semel unoquoque triennio in templo nostro confertissimæ omnium ordinum multitudini D. Ignatii commentationes proponuntur diebus novem Pentecostes festum præcedentibus. In seminario episcopi exposcunt fere quolibet anno ad easdem exercitationes operam nostram clerici sexaginta. Admodum frequenter idem munus patres Deo dicatis virginibus præstant, et excurrunt ad ædificia sacris exercitationibus destinata, quæ diversis in locis excitata sunt. In collegio Salutiensi per triduum sacris exercitationibus discipuli excoluntur. Ejusdem collegii patres a sacris

virginibus frequenter ad idem munus expetuntur. Insuper frequentissime idem præstant pluribus procul in domibus huic operi destinatis ; adeo ut etiam quatuor supra decem cætus hominum quotannis diverso tempore ac loco edoceant ac moderentur. *Ex tam late itaque diffuso, tamque fructuoso ac stabili Exercitiorum, uti vidimus, usu, magnus eorum post Deum auctori posthuma accrevit gloria.*

INDEX RERUM

DOCUMENTUM PRIMUM EX PINIO.

Vita Christi, ab Ignatio lecta, fertur fuisse composita a Landulfo Cartusiano. 223

Iter Navarreto in Montem serratum ; cujus magnificentia, situs, ac natura loci describitur . . . 224-226

Quo ætatis anno ibi fuerit; quænam ibi fecerit, notata sunt in inscriptione. 226,227

Illius quo ibidem a sacris confessionibus usus est Ignatius, elogium 228,229

In Monte serrato brevissimo tempore mansit. . . 229,230

Describitur, quo usus ibidem indumento fuerit Sanctus, contra nonnullorum somnia, in Donatum Benedictinum ridicule et infundate eum transformantium 231-233

An professus fuerit tertiam regulam S. Francisci. . 233,234

Perstringuntur quædam circa imaginem S. Ignatii, cum inscriptione Manresæ expositam. . . . 235

Manresæ notitia 236

Exponitur quomodo S. Ignatius relicto Serrato monte Minoressam pervenerit et quomodo inde sit digressus. 237-240

Spelunca S. Ignatii unica contra quosdam religiosos asseritur, quæ describitur 241,242

Ibi Exercitia spiritualia composuit. 244

Quamdiu Manresæ moratus fuerit 244

Yepezio, qui censet Exercitia a Sancto composita fuisse postquam studuerat, opponitur Ribadeneira ; qui ad argumenta ejus respondet, ac probat, eadem a sancto recenter converso fuisse composita 245-248

Exercitia illa contra ineptum quemdam hypercriticum egregie tuetur Bartolus, atque Ignatio vindicat, tanquam vero ac genuino eorumdem auctori. . 249-253

Argumenta extrinseca quibus dictus liber asseritur Sancto, contra adversarium publico congregationis Cassinensis decreto exarmatum, uti et sequacem ejus, publicis etiam congregationis Lusitanæ Ordinis Benedictini tabulis perstrictum . . . 253-257

Argaizius ex isto sordido fonte, et alio nullius hic fidei impugnat verum Exercitiorum auctorem ; sed sublestæ fidei accusatur. 258-260

Præter alios, qui dederunt Exercitiorum ideam, illud paucis prestitit P. Ignatius Diertins. 261,262

Multum refert, quo in Exercitiis directore utaris et qua accuratione ea obeas, ut centesimum fructum ferant 262,263

Ingentes certe ea attulerunt fructus Societati Jesu, viros magnos ad eam aggregando 264-266

Magna spiritus commoda per eadem Exercitia aliis ecclesiæ catholicæ locis facta recensentur. . . 268-271

Exercitia multis persecutionibus exagitata, etiam postquam eadem approbasset Christi Vicarius, a quodam fratre proscinduntur amarulentis censuris, uti et ipsa Jesu Societas 272-275

Observationes quædam circa istum furiosum, et libelli Exercitiorum approbationes ex originali exemplo Romæ transcriptas. 276,277

Eum laudat impense Sedes Apostolica; alii defendunt 278,279

Bellum Exercitiis Toleti indictum, egregios pro eis vindices excitavit 280

Doctor Bartolomœus Torres egregia apologia defendit libellum Exercitiorum, et objectionibus respondet 281-284

Quid de Exercitiis senserit Mancius 286

Documentum secundum ex Variis *(Gloria posthuma S. Ignatii ex commoratione apud Manresanos).*

Inscriptione honoratur ecclesia B. Luciæ ; magna in veneratione habetur locus ille, in quo contigit famosus Ignatii raptus : templum item Deiparæ a Sancto frequentatum ; uti et cubiculum, in quo æger decubuerat. 287- 90

Locorum veneratio ex testimonio Ribadeneiræ ; et Petri Gil de spelunca ; de cujus publica et honorifica frequentatione nonnulla proferuntur . . . 291,292

Confirmatur cultus Sancti apud Manresanos propagatio. 293

Maximi fit ab insignibus personis hæc spelunca; inter quas egregium specimen dedit archiep. Burdegalensis. 293,294

Sacellum speluncæ superædificatum ; pecunia ad ornatum collata, indulgentiæ etc. 294,295

Malum lateris, ulcera strumarum, cœcitas ; dolor dentium sospitantur. 295,296

Nefarii a perpetrando in spelunca scelere impediti . 297

Sudor sanguineus miraculosus 297

Sanctæ speluncæ vis sospitatrix reginæ Hisp., ac proregis Cataloniæ fastis stabilitur 298,299

Acquiritur Societati Jesu spelunca. 299

Ludovicus Strada ac S. Franciscus Salesius, item episcopus Bellicensis, Alexander PP. VII magnifice sentiunt de Exercitiis : heterodoxo quodam, vel per vituperia, eorum vim laudante 300-302

Usus eorum in Societate 303

S. Carolus Borromœus maximus Exercitiorum æstimator 304

Ea etiam obivere S. Franciscus Salesius, S. Teresia, ac S. Maria Magdalena de Pazzis 305,306

Editus libellus docet, quid in hac materia Bononiæ sit factum : quid Brixiæ, et in agro Bergomensi etc. 307,308

Quid fiat Neapoli ac Romæ. 309

Notitiæ quædam distinctæ circa ea quæ apud Mediolanenses, et alibi fiant 310,311

De urbe Venetensi in Britannia minore singularia exponuntur. 311,312

Ædificium collegio Taurinensi pro Exercitiis transcriptum. 313

Multi Exercitiis imbuuntur Taurini, in Subalpina regione, in collegio item Montisregalis, ac domo Cheriensi ; uti et Alexandrino collegio, nec non Niciensi, Cuneensi, Pineroliensi, Vercellensi, ac Salutiensi 314-317

INDEX GENERALIS

HISTORIA EXERCITIORUM..... A P. IGNATIO DIERTINS 1-187

Index rerum 189-216

Addita ad secundam editionem 217-219

EXCERPTA QUÆDAM EX OPERE PATRUM BOLLANDISTARUM 221

Documentum primum, auctore Pinio 223-286

Documentum secundum, ex Variis. 287-318

Index rerum 319-322

LAUS DEO ET IMMACULATÆ VIRGINI

Achevé d'imprimer le 10 Octobre 1887, en la fête de Saint François de Borgia, S.I.

060.309
D566
6409

DIERTINS, S.J. IGNATIUS
AUTHOR

Historia Exercitiorum Spiritual-
TITLE ium

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

6409